BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
9 G
15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
RECTO VSV
OPINIONIS
PROBABILIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE RECTO VSV
OPINIONIS
PROBABILIS
QVÆSTIO VNICA
IN QVINQVE LECTIONES DISTRIBVTA,
VBI

Breuiſsima, & clariſsima Methodo ſtrictior Nonnullorum opinandi modus, Laxior aliorum temperantur.

R. P. D. AVGVSTINI
DE ANGELIS
Congregationis Somaſchæ in Romana Sapientia Profeſſoris Ordinarij. S. Cong. Librorum Indicis Conſultoris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum triplici Indice, Rerum, ac Verborum Notabilium. Sacrorum Canonum, & Locorum Sacræ Scripturæ.

ROMÆ, Typis Fabij de Falchis, MDCLXVII.

Cum Licentia Superiorum.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI

CLEMENTI IX.

PONTIFICI MAXIMO

AVGVSTINVS DE ANGELIS F.

NOn eſt, cùr mirere, Beatiſsime Pater, ad ſanctiſsimos Tuos pedes proiectum hoc opus, quando vnanimi Purpuratorum Patrum ſuffragio in eius locum nuper

Digitized by Google

ſuffectus es, ad cuius pedes fidelibus erat ſolemne ſuas opes proijcere. Imò nequè meas ego has opes iactauerim, cùm eas, (qualescunq; tandem ſint) ipſe congeſſerim, qui iam diù totus in ære, cenſuquè tuo ſum, & qui propterea, ſi legibus agendum ſit, vni tibi tanquam domino cenſeor congeſſiſſe. Accedit operis Argumentum, quod cùm ſit de recto vſu opinionis probabilis, eòquè tendat, vt Chriſti ouibus oſtendatur tenenda tutior ad Cælum via, cuiusnam potius nomine inſcribatur, quàm cuius potiſsimum eſt ex iniuncto deſuper munere per eandem illas viam dirigere? Sed vt cætera deeſſent, hoc ipſum ſibi vendicabat incredibilis ille tuus in bonas Literas, Litera-

tos-

Digitized by Google

toſquè fauor, eximia illa tua in om-
nes benignitas. Vix enim in Vrbe
rumor percrebuit, ad ſolium te
Petri aſſumptum, cùm palàm quoq;
iactatum eſt; nec bonis Artibus
meliorem Patronum, ac Mecænatem,
tem, nec fidelibus Populis clemen-
tiorem Pontificem contingere po-
tuiſse. Hanc omnium ſententiam
opportunè fouit ſapientia tua; &
glorioſum Clementis nomen aſſu-
mens, vt rebus voces congruerent;
fidemquè interim facerent Cle-
mentiſsimi dominatus, & ea ſta-
tim diſponens, quæ pijſsimum
Principem teſtarentur. Qua de
cauſa in Vaticanam Baſilicam tri-
umphali more delatus, vt ibi om-
nium Ordinum veneratione, om-
nium Paſtor, ac Pater agnoſcereris;

quis

quis fando perſequi valeat, qua Romæ ſuis penè ſedibus conuulsæ lætitia, quo Populorum vndiquè affluentium plauſu, & exultatione, qua vocum ſalutem, & fauſtitatem apprecantium reſonantia, ſis exceptus? Atquè vt voces conticeſcant, clamant adhuc omnium corda Neſtoreos tibi Annos poſtulantia, vt ad Chriſtianæ Reip. bonum opere confirmes, quæ animo tuo celſiſsimo deſtinaſti. Hæc omnium vota meis & ipſe accumulo, niſi Cælum nobis iraſci perſiſtat, implenda confidens, atquè ad Sacrorum pedum oſculum humillimè procumbo.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIONES

D. BONIFACIVS ALBANVS

Præpoſitus Generalis Congregat. Somaſchæ.

QVæſtionem vnicam de Recto Vſu Opinionis Probabilis Auguſtini de Angelis, Cong. noſtræ Theologi Typis mandari, tenore præſentium concedimus præhabita Virorum grauium, quibus illius examen commiſimus, approbatione; & in fidem has literas manu propria ſubſcriptas, ſigilloquè noſtro munitas dedimus. Romæ in Collegio S. Blaſij montis Cit. Kalendis Maij. 1667.

D. Bonifacius Albanus Præpoſ. Generalis.

Franc. Montenarius A Secretis.

Digitized by Google

& ipſe fortaſsè abſtruſæ huius difficultatis punctum omne tuliſſe dicar, ſi optatam breuitatem cùm claritate coniunxero. Verùm vt vno proſpectu diſputantium hac de re Theologorum claſſes inſpicias, illos primò diuido, ità vt alij ſint, & dicantur Probabiliſtæ, qui licitam eſſe ſequelam probabilis relicta probabiliori defendunt, Alij verò ſint, & dicantur Probabiliores, ſeù Probabilioriſtæ, qui è contrà ſequelam probabilioris relicta probabili neceſſariò, & ex præcepto eligendam eſſe dicunt. Rurſus Probabiliſtæ, alij ſunt Antiquiores, qui ſequelam opinionis probabilis relicta probabiliori eligendam eſſe dicunt in eo tantùm caſu, quo vtraquè ſtat pro lege diuina, & præcepto, ità eſſe intelligendo fundatiſſimos Theologos Suarez, Vaſquez, & Salas puto. Alij verò

nuper-

Digitized by Google

perrimi volunt licitam eſſe ſequelam nionis probabilis generatim, etiam ando opinio probabilis ſtat pro liberta- noſtra, & commodo, ità Tamburi- s, Paſqualigus, Diana, Caramuel, inula, & Honoratus Fabri. Hi oquè ſubdiuiduntur, nam Alij li- am eſſe dicunt ſequelam opinionis babiliter probabilis, ità Tamburi- s, Paſqualigus, & Diana. Alij rò volunt eſſe licitam ſequelam opi- nis certò probabilis; certò, inquam, titudine morali. Probabilioriſtæ nes vno ore glorificant Deum, & trem, vnius ſunt claſſis. Hæc ſi at- ıtè perpenderis, magna tibi Lux ef- lgebit ad claram, & dilucidam eo- m, quæ dicenda ſunt, intelligentiam. quia in progreſsu Quæſtionis nimius quorum rigor, nimia aliorum licen-

tia

tia temperantur, media Tu via tutiſſimus ibis. Interim ſi labores hi mei Tibi, mi Lector, arriſerint, vnum à Te peto præmium opulentiſſimum, vt in tuis ad Deum precibus memor ſis mei. Vale.

Digitized by Google

QVÆSTIO VNICA DE Vſu opinionis probabilis.

VT in hac Quæſtione, quæ il-luſtri nobilium Theologorũ contentione facta eſt famoſa & celebris, mihi aliàs conſueta, & Angelica D. Thomæ methodo procedam, diuidam illam in quinque potiſſimùm Articulos, ſeù Lectiones.

In I. Quæritur. *An opinio probabilis benè definiatur, Aſſenſus formidoloſus, & incertus ex inſufficientia motiui.*

In II. *An datis duabus opinionibus æquè probabilibus poſſit intellectus ex imperio voluntatis inclinare magis in vnam, quàm in alteram.*

In III. *An ex duabus opinionibus de honeſtate obiecti actionis humanæ, quarum vna ſit probabilis, & ſtet pro libertate, & commodo; altera ſit probabilior, & ſtet pro lege diuina, & præcepto, hæc ſit præ illa viro prudenti & circunſpecto eligenda, & ſequenda.*

In IV. *An in dubio tutior ſit pars eligenda in foro conſcientiæ, quæ eſt regula Canonum c. ad Audientiam de Homicidio.*

In V. *An Homo illiteratus poſſit ſequi ſententiam ſui Magiſtri, & Doctoris in hac materia Morum, & Conſcientiæ.*

Digitized by Google

LECTIO I.

An opinio probabilis benè definiatur, quòd ſit Aſſenſus formidoloſus, & incertus ob inſufficientiam motiui.

VIdetur quòd non. Primò quia opinio probabilis vel eſt authentica, vel eſt rationalis; & quidem ſi authentica ſit, definitur eſſe illa, quæ graui auctoritate fulcitur; ſi rationalis ſit, definitur illa, quæ graui ratione fulcitur; ſeù, quod in idem recidit, quæ nititur non leui fundamento, ſed adhæret rationibus firmis, aut auctoritati inſignium D. D., ergò non benè definitur, quòd ſit Aſſenſus formidoloſus, & incertus.

Secundò, Quia opinio probabilis definir eſſe illa, quę ex rationabili motiuo prodit citrà certitudinem, rationabile aun motiuum, vel fundamentum citra certidinem, eſt, quod licèt intellectum non

 rapiat,

rapiat, & vi quadam obiectiua aſſenſum extorqueat, ad aſſenſum tamen prudentē mouet, prudens verò aſſenſus eſt, quem ſi quis dederit, eum prudenter feciſſe ſapientes homines iudicant, ergò non benè definitur eſſe Aſſenſus formidoloſus, & incertus.

Tertiò Quia opinio probabilis definitur ab Ariſt. 1.Top.1. quòd ſit illa, quæ videatur pluribus, vel omnibus, vel ſapientibus; & his vel pluribus, vel omnibus, & maximè familiaribus, ac notis, ergò non debet dici aſſenſus formidoloſus & incertus.

Quartò Quia S.Aug. teſte lib.2.con.Academicos c. xi. Id eſt probabile, ſeu veriſimile, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt inuitare, ergò opinio probabilis non eſt aſſenſus.

Quintò Quia ex Ariſt. 1.Polit.c. 24. opinio probabilis eſt acceptio propoſitionis immediatæ non neceſſariæ, in quantùm, videlicet, vt ipſemet Ariſt. explicat, opinio probabilis habet obiectum contingens,

id

Digitized by Google

ideſt , indifferens ad verum,& falſum ; ſicut è contrà ſcientia habet obiectum neceſſarium,quod, ſcilicet, non poteſt aliter ſe haberi .

Sextò Quia ſi opinio definiretur eſſe aſſenſus formidoloſus,& incertus,non differret opinio probabilis ab aſſenſu dubitatiuo, quia hic etiam eſt formidoloſus, & incertus , debet autem opinio probabilis poni,vt omninò diſtincta à dubio.

Septimò Quia opinio probabilis benè poteſt dici eſſe illa , quæ eſt certa moraliter, & quæ poteſt approbari, ideſt , haberi tanquam recta , & proba iuxta illud Eccl. 42. & probabilis in conſpectu omnium virorum.2.ad Tim.2. ſollicitè cura teipſum exhibere probabilem Deo , ergo opinio probabilis non eſt aſſenſus formidoloſus , & incertus .

Sed contrà eſt Dicendum. Opinio probabilis definitur eſſe aſſenſus formidoloſus, & incertus ex inſufficientia motiui , ſeu obiecti mouentis , ſeu cauſantis illum aſſenſum.

Dixi primò, *Opinio probabilis*, quia non diſtinguo opinionem à probabilitate, niſi ea ratione, qua ſcientia diſtinguitur à ſuo obiecto formali, ſicut enim Phyſica v. g. dicitur ſcientia naturalis ab obiecto ſuo formali, quod eſt naturalitas, ita opinio dicitur probabilis ab obiecto ſuo formali, quod eſt probabile, ſeu opinabile; & quia datur aliquod obiectum inopinabile, ideò etiam datur inopinio, ſeu poſitio inopinabilis, ait enim Ariſt. 8. Top. 3. Inopinabilem poſitionem cauendum eſt, ſuſtinere; ſolet autem ob penuriam vocabulorum inopinio, ſeu poſitio inopinalis dici abuſiuè opinio improbabilis, ſicuti febris dicitur bona, & fur bonus.

Dixi 2. Aſſenſus formidoloſus, & incertus, vt diſtinguatur aſſenſus opinatiuus, & probabilis ab aſſenſu ſcientifico, qui eſt phyſicè firmus, & certus, & ab aſſenſu opinionis probabilioris, qui eſt certus moraliter, ideſt, excluſiuus actualis formidinis.

Dixi 3. ex inſufficientia motiui, vt diſtin-

diſtinguatur ab Aſſenſu fidei humanæ, qui etiam eſt incertus, & formidoloſus, naſcitur autem formido non ex inſufficientia motiui, ſed ex defectu veracitatis, quæ ſæpè ſolet deeſſe in hominibus, iuxta illud Pſal.125. omnis homo mendax.

Et quia per Ariſt. in Problem. ſect. 31.n.10. contrariorum eadem eſt diſciplina, ex iſta definitione opinionis probabilis facilè eſt colligere definitionem opinionis probabilioris, quam eſſe oppoſitam opinioni probabili, oſtendam infrà; nimirùm, definitio opinionis probabilioris eſt, quòd ſit Aſſenſus firmus, & certus moraliter ex ſufficientia motiui probabilioris, fortioris, & valentioris, atque adeò potentis trahere Intellectum ad ſe, neglecta parte oppoſita; Vnde ratione huius firmitatis, & certitudinis moralis, quæ eſt in probabiliori, puto opinionem probabiliorem educendam eſse potius ad habitum Pru-lentiæ, quæ ſemper eſt certa moraliter, uàm ad habitum opinionis, de cuius eſ-ntia ex probabiliſtis Martinus de Ex-

parſa q.22.de fide, putat, eſſe actualem formidinem.

Et quidem vtraque hæc definitio altè retinenda eſt, quia eſt baſis, & fundamentum totius præſentis quæſtionis, vt enim habet Tullius lib. 1.Offic.omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit, de quo diſputatur, & innoteſcat punctus, ſeù nodus difficultatis examinandæ, nam ex Ariſt.3. t.met.1. ſoluere non eſt, cùm nodus ignoretur; & ideò recta diſputandi methodus expoſcit, vt in quæſt. quacunque præcipuè, & antè omnia oculis diſputantium difficultatis punctus ſubijciatur, & proponatur, vt ſciamus, quò, tanquam lineæ ad centrum, collimanda ſint argumentorum tela, dirigendi telorum ictus, momenta, videlicet, rationum. Sic explicata Concluſio

Probatur Primò Ratione, quia in ea definitione poſita ſunt prædicata eſſentialia conſtitutiua opinionis, ergo illa eſt accurata, & facta iuxtà regulas Dialecticorum,

rum. Antecedens probatur, quia in ea definitione ſunt poſita prædicata diſtinctiua opinionis à ſcientia, à fide,& ab omni alio habitu intellectus, ergò illa ſunt prædicata eſſentialia,& conſtitutiua opinionis , idem enim eſt principium conſtitutiuum , & diſtinctiuum ex Ariſt. 7. met. tex. 41 .

Aliæ rationes non poſſunt afferri , quia rationum penuria laboramus, quãdo quæſtio potiùs eſt de nomine , quàm de re , quæſtiones enim de nomine non deciduntur ratione , ſed auctoritate . Ità Ariſt. 2. Top.2. *Vt quod nuncupationibus quidem res appellare oportet quemadmodum multi , quæ autem res tales ſint , vel non ſint, non amplius tribuendum multis.* Venio igitur ad Auctoritates,

Et Primò quidem probatur Auctoritate D. Thomæ , nam 1. p. q. 79. art. 9. ad 4. lefinit opinionem, dicendo. Opinio ſignificat actum Intellectus, qui fertur in vnã artem contradictionis cum formidine alrius, & 2.2. q. 1. art. 4. in corpore, haet. Aſsentit autem Intellectus alicui du-

plici

pliciter; vno modo, quia ad hoc mouetur ab vno obiecto, quod eſt vel per ſeipſum cognitum, vel per aliud cognitum, ſicuti patet de Concluſionibus, quarum eſt ſcientia; alio modo aſſentit Intellectus alicui, non quia ſufficienter mouetur ab obiecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis, quàm in aliam; & ſi quidem hoc fit cũ dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio, ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides, diuina ſcilicèt, de qua loquebatur ibi D. Thomas.

Probatur 2. Auctoritate Ariſtotelis 1. Polit. c. 24. circà medium, vbi habet; & confeſſum autem eſt ſic opponentibus, nam & opinio incertũ quid eſt, & natura talis; ad hæc autem nemo putat opinari, quando exiſtimat impoſſibile aliter ſe habere, ſed ſcire, ſed quando eſſe quidem ſic, ſed tamen & aliter, nihil prohibet tunc opinari, tanquam quòd talis opinio ſit. vbi magnus Albertus in Com. Opinio, ait, ſecundùm ſe incertum quid eſt, & ipſum inopinabile

ɪabile de ſua natura, in quantum eſt o-
ɪabile incertum, ſicut & opinio; hinc
iſt. 6. Eth. c. 10. dixit, à veritate opinio
ɔet, vt recta ſit. δόξης ὀρθότης ἀλήθεια;
inio igitur non habet de ſe, quòd ſit re.
, & proba, ſed à veritate, quæ per acci-
ns ineſt illi.

Probatur 3. Auctoritate Probabiliſta-
n, & Probabiliorum, in hoc enim prin-
io vti debent conuenire, ità reipſa con-
niunt; debent conuenire, quia niſi di-
ıtantes in aliquo primo principio con-
ıiant, veritatem inquirere, eſset volu-
s perſequi, vt loquitur Ariſt. 4. met. c.
. verſus finem.

Ɛt quidem Probabiliores ſunt, D. Tho-
s locis citatis; Scotus in 3. d. 24. q. 1. §.
ſpondent; D. Antoninus p.p. tit. 3. c. 10.
ɪo. D. Bonau. in 3. diſt. 24. q. 24. verſ.
n opinio. Adrianus Papa de Sacram.
ɜnit. qq. de reſtit. §. Dicendum eſt ergo.
ietanus in Sum. V. opinione vti. Nav. c.
. de reg. Confeſs. Miſcell. 3. Fumus in
m. V. opinio, Sylueſter in ſum. V. opi-
nio.

Digitized by Google

nio, D. Proſper Fagnanus in ſuo opuſc. n. 22. Anton. Marinarius in ſuo Opuſc. c. 3. n. 4.

Probabiliſtæ verò ſunt. Vaſq. 1. 2. diſp. 62 c. 5. verſus finem. Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 16. n. 144. Valentia tom. 3. diſp. 1. quęſt. 1. p. 4. §. 2. Bonac. de Peccatis diſp. 2. q. 4. p. VI. Antonius Noctinot. in ſum. V. opinio. Honoratus Fabri in ſuo Dial. fol. 42. Stephanus Spinula in ſuo opere de Agib. elect. Martinus de Exparſa q. 22. de fide. Caramuel paſſim in Theol. Fundam. & Reg.

Conſentiunt Philoſophi omnes, ſeù Dialectici tractantes illam quæſtionem, An ſcientia, & opinio poſsint eſse ſimul in eodem intellectu. Vide Arriagã diſp. 16. Log. ſect. x1. Ouiedum de Anima. Controu. v. p. v. Pariter Theologi in Tractatu de fide, agitantes illam quæſtionem, An opinio, & fides Diuina poſſint ſimul eſse in eodem intellectu.

Ità pariter ſentiunt Canoniſtæ. c. A nobis il. 2. de ſententia excom. nec non Iuriſtæ in L. Admonendi ff. de iure iurando, vbi

i dicitur, opinio eſt credulitas cum ali-
a leui dubitatione, & tenet medium in-
ſuſpicionem, & perfectam probationẽ,
docet ibi Barttolus n. 21. & 11.

Ad I. Reſp. eam definitionem nec apud
iſt. nec apud alium claſſicum, & anti-
um Doctorem inueniri, ſed fuiſse nuper-
nè à Probabiliſtis excogitatam; nec be-
per illam explicari diſcrimen, quod
ninò debet poni inter opinionem ex
a parte, & ſcientiam, ac fidem ex altera,
n etiam ſcientia graui ratione fundatur,
es verò graui auctoritate.

Ad II. Reſp. eam definitionem poſse
oquo modo ad bonum ſenſum reduci,
imirùm benè explicentur illi termini;
à certitudinem, nam ſi per illos intelliga-
is formidinem, & dubitationem, quam
quam ſui eſsentiale prædicatum habet
inio, definitio illa poteſt admitti; at non
explicatur à ſuis Auctoribus, dum ſup-
ſsa formidine docent, opinionem inniti
ionabili fundamento, & per rationabile
damentum intelligũt illud, quod mouet
ad

ad prudentem aſsenſum, id enim eſt petere principium, ideſt, aſsumere tanquam probatum id, quod eſt probandum, nam quæſtio eſt, An opinio probabilis mouere poſſit ad prudentem aſsenſum, & Auctores illius definitionis reſpondent, opinio probabilis eſt illa, quæ innititur rationabili fundamento, ideſt, fundamento, quod mouet ad prudentem aſsenſum.

Ad III. Reſp. Per eam definitionem Ariſtotelis, vt probabiliſtæ ipſi vltrò fatentur apud Caramuelem in Apolog. epiſt. 4. explicatur probabilitas extrinſeca, quę petitur ex auctoritate D.D. vnde ſic accepta opinio non videtur differre à fide humana, quæ huiuſmodi auctoritati innititur, & alibi Ariſtoteles non approbat, aſſenſum peti ex auctoritate dicentium, ſeu quia ità pluribus videtur. Verba eius 4. met. c. 5. t. 24. ſunt: Dulce ęgrotis videtur amarum, quòd ſi omnes ęgrotarent, aut infirmi eſſent, duo autem, vel tres ſani, aut mentis compotes eſsent, fortè dulce deberet neceſsariò eſse, aut dici amarum, quia ſic plu-

ribus

us, aut ferè omnibus videtur. Ad IV. Reſp. Eam definitionem Acade-:orum ineptam eſse exiſtimatam à D. guſtino loco cit. & ex illa lib. 13. c. 16. :rt hanc eorum propoſitionem, *cum a-quiſque, quod ei videtur probabile, nec pec-nec errat*; infert, inquam, eſse falſiſſi-n, quia aliàs non peccaret adoleſcens lians pudicitię vxoris alienę, cùm id illi ɔabile ſine aſsenſione videatur; quare ıitio illa Academicornm non eſt defi-) opinionis, ſed dubij ſtrictè ſumpti, de ait Ariſt. 3. Met. c. 1. quatenùs dubitat, nùs ſimile quiddam ligatis patitur, v-ue enim modo impoſsibile eſt ad vl-ɔra procedere.

d V. Reſp. Ariſt. ſe in eodem tex. ex-.re. Subdit enim, opinio incertũ quid : natura talis; incertum autem, & for-ıloſum in idem recidunt; ſemper igi-ıenti Ariſtotelis altè inſedit, quòd o-ı ſit aſsenſus incertus, & formidoloſus; l confirmatur ex eo, quia ibidem aſſi-s differentiam inter ſcientiam, & opi-

ni onem,

nionem, docet, ſcientiam eſse de obiecto neceſsario, quod, ſcilicet, non poteſt aliter ſe haberi, quia verum, opinio verò de obiecto contingenti, quod poteſt aliter ſe haberi, in quantùm eſt indifferens ad verum, & falſum.

Ad VI. Aſsenſum opinatiuum non differre ab aſsenſu dubitatiuo largè ſumpto, videtur non poſse negari, patet enim ex verbis cit. S. Thomæ pro eodem ſumi dubitationem, & formidinem, & ideò Probabiliores à *P*robabiliſtis immeritò arguuntur, quaſi neſciant diſtinguere dubium à probabili, dubitationem ab opinione, & formidine; eſtò dubium ſtrictè acceptum, quo intellectus manet anceps, & ſuſpenſus valdè diſtet ab opinione, quę ſemper eſt cum aſsenſu, licèt incerto, & formidoloſo; hinc apud Speculatorē definitur opinio, dubia particularis arbitratio, quę à DD. alicuius ſcientię auctoritatem habet. Vide Vocab. Iuris. v. opinio. hinc eruditè obſeruat Card. Pall. de actibus humanis d. 8. q. 6. art. 6. n. 10. quòd res dubia, & res

vtrinq;

vtrinquè probabilis in ordine ad opinandum coincidunt; nam ſi rationes apparent vtrinquè probabiles, vtraquè ſe habet perindè, ac res omninò dubia; id etiam vltrò conceſſit Honoratus Fabri in ſuo Dial. fol. 109.

Ad VII. Reſp. ea definitione æquè definiri opinionem probabilem, & probabiliorem; nam ſi illa eſt certa moraliter, quid ni iſta, quæ eſt probabilior? Deindè licèt probabile in generali quadam ſignificatione poſſit accipi pro eo, quod poteſt approbari tanquam certum, & probum; non tamen in hoc ſenſu accipitur ab Ariſt. vt patet ex Alberto Magno vbi ſuprà; nec poteſt in hoc ſenſu accipi in præſenti quæſtione, cùm nullus adhuc *Probabiliſta*, aut Probabilioriſta acceperit probabile in illo ſenſu, nec enim ab arbitrio cuiuslibet viri Docti, quamuis eximii, pendet nouos terminos, aut nouas terminorum ſignificationes in medium afferre in quæſtionibus hinc indè à D.D. ventilatis, nam vt be-

nè notat Tertullian. lib. de carne Chriſti c. 13. Omnia periclitabuntur, aliter accipi terminos, quàm ſunt, & omittere, quòd ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt cognominentur, fides nominum ſalus eſt proprietatum; & loquendum eſſe cum multis, ſapiendum cum paucis, commune eſt proloquium fundatum in Ariſt. 2. Top. 2. verb. s ſupra cit.

Demum dico, ab Auctore eius definitionis ſupponi tanquã probatũ id, quod eſt maximè probandum, cùm ſit cardo totius præſentis difficultatis: nam Probabilioriſtæ negant omninò, quicquam certi reperiri in opinione probabili, Probabiliſtæ verò diuiſi ſunt in duas potiſſimùm claſses; nam antiquiores initio motæ quæſtionis, vt Vaſquez, & Salas locis cit. ingenuè faſſi ſunt, in opinione probabili non adeſse certitudinem vllam, ſed formidinem, eam tamen non obſtare, quominùs ſequela opinionis probabilis eſset licita, & immunis à peccato. Nu-

perrimi

Digitized by Google

perrimi verò Probabiliſtæ variis argumentis hinc indè conſtricti admiſere tandem aliquam certitudinem eſse dandam in ſequela opinionis probabilis, vt eſset licita, nimirum, certitudinem probabilitatis; volunt enim non eſse ſatis ad licitã operation[illegible]em, opinionem probabiliter probabilem, ſed requiri opinionem certò probabilem, vt fuſiùs infrà explicabimus

---

LECTIO SECVNDA:

An datis duabus opinionibus æquè probabilibus poſſit Intellectus ex Imperio Voluntatis inclinare magis in vnam, quàm in alteram.

VIdetur quòd ſic. Primò quia, Voluntas eſt Regina, & Domina omnium potentiarum, præcipuè verò Intel-

lectus, ergò ſtante intellectu veluti in æquilibrio duarum opinionum æquè probabilium, poteſt Voluntas imperare, vt vnam potiùs, quàm alteram ſequatur; aliàs non poſſet explicari, in quo conſiſteret imperium Intellectus ſuprà Voluntatem [redacted].

Secundò, quia de facto Intellectus, quando obiectum eſt obſcurum, atque adeò tali obiecto Intellectus ex ſe ſe nũquam aſſentiret, ex imperio Voluntatis aſſentitur, vt patet, quando Intellectui ſufficienter proponuntur myſteria fidei, quibus in confeſſo eſt, Intellectum aſſentiri ex imperio, & pio affectu voluntatis. Prætereà voluntas poteſt impedire actum obſcurum quantum ad exercitium, in iudicio enim obſcuro intellectus exponitur periculo ſui mali, hoc eſt, erroris, ergò expedit, vt voluntas, quæ conſulit bono omnium potentiarum, habeat poteſtatem in ordine ad ſuſpenſionem huiuſmodi actus, quando expedit, vt veritas melius inquiratur,

Digitized by Google

aliàs actus infidelitatis, & iudicium temerarium non eſsent peccata, quia non eſsent libera, ergò poteſt etiam imperare actum opinatiuum.

Tertiò, quia voluntas poteſt circà duo bona æqualia ità ſe gerere, vt vnum amplectatur, alterum reſpuat, ergò & Intellectus poteſt ex duabus opinionibus probabilibus vnam ſequi altera reiecta, nam eius ductum voluntas ſequitur, nihil enim volitum, quin præcognitum ex Aug. lib. 3. de Trin. & ex Papiniano l. cùm Aquiliana ff. de tranſaction.

Quartò, quia ſi Intellectus non poſset, quam maluerit opinionem ſequi, eſset deterioris conditionis, ac eſt Imaginatiua, hæc enim poteſt ad libitum imaginari; cur ergo Intellectus non poterit ſaltem ex imperio voluntatis vnam ex duabus æquè probabilibus opinionem eligere?

Quintò, quia aliter eſt diſcurrendum, & Theologizandum, quando datur dubium, & quando datur mutua probabi-

 litas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

litas; at quando Intellectus eſt dubius, in neutram partem poteſt ſe determinare, ergo quādo eſt probabilis, ſeu vtrinq; habet probabilitatem, debet poſſe ſaltem ex imperio voluntatis, in alterutram partem ſe determinare.

Sed Contrà eſt Dicendum. Datis duabus opinionibus æquè probabilibus, non poteſt Intellectus ex imperio voluntatis inclinare magis in vnam, quàm in alteram partem.

Dixi, *ex Imperio Voluntatis*, quia præciſo hoc imperio Intellectus eſt æquilibris, vt loquitur Gerſon apud Gabr. d. 15. q. 8. art. 2. dub. 2. eſt veluti ſtatera lances habens æquo libramine ponderoſas, vt habetur c. 1. de ſent. & re iudicata lib. 6. eſt exemplum commune, atque adeò cùm non habeat motiua illum determinantia potiùs in vnam partem, quàm in alteram, ſeipſum non poteſt deteminare ad amplectendam alterutram ex illis; dubium eſt ergo, An poſſit flecti, & determinari ex imperio voluntatis, cui tanquam

quam Reginæ ſubduntur omnes aliæ potentiæ. Sic explicata Concluſio

Probatur Primò à priori, quia voluntas tanquam Regina potentiarum debet conſeruare, non deſtruere bonum earum particulare, ad quod à natura inclinantur, ſed bonum Intellectus eſt verum, & ex alia parte ſtantibus duabus opinionibus æquè probabilibus, non relucet verum magis in vna, quàm in altera, ergò Intellectus non poteſt ex imperio voluntatis flecti magis ad vnam, quàm ad alteram. Poteſt hæc doctrina varijs, manifeſtisquè ſiuè experientiis, ſiuè exemplis illuſtrari, nam Plato relatus à D. Thoma p. 2. q. 13. art. vlt. aſſignans rationem quietis terræ in medio, docet, quòd ideò Terra quieſcit in medio, quia cùm ſit æqualiter ponderoſa, non eſt maior ratio, cùr potius in vnam partem, quàm in alteram ſe moueat, & inclinet, ſicut famelicus, ſi habeat cibum æqualiter appetibilem in diuerſis partibus, & ſecundùm æqualem diſtantiam non magis

Digitized by Google

mouetur ad vnam, quàm ad alteram. Ariſtoteles 2. Cœli t.93. affert exemplum de capillo validè quidem, ſed ſimiliter vndiquè extenſo, qui non diſrumpetur. Bartholomæus Medina 1. 2.q.13.art.2. teſtatur, ſe nouiſse hominem quemdam, qui propoſitis duobus pomis in æquali diſtantia cruciabatur, vt comederet, & non poterat, niſi ab alio applicaretur potiùs ad vnum, quàm ad alterum; idem etiam refertur de Aſino Buridani apud D. Fagnanum in ſuo opuſc. fol. 113.

Probatur 2. Concluſio pariter à priori, Quia Actus Intellectus natura ſua præcedit actũ voluntatis, & eſt illo prior, ergo non poteſt Intellectus determinari à Voluntate, & flecti potiùs in vnam opinionem, quàm in alteram, inintelligibile enim eſt, aliquem determinari ad operationem iam elicitam ab aliquo, qui ſit ea operatione poſterior; quomodo autem poſsit Intellectus determinari à voluntate ad actum fidei, mox dicam in Reſp. ad 2. Ant. eſt in confeſso, cùm ex illo

dicto

dicto D. Aug. communiter recepto, *nihil volitum, quin præcognitum*, tùm ex doctrina, quam tradit S. Thomas opuſc. 53. de Intellectu, & intelligibili, quia nimirùm oportet, antequam aliquis velit intelligere, quòd præconcipiat, quid eſt intelligere, & ſic intelligentia naturaliter præcedit voluntatem.

Præterea licèt voluntas moueat Intellectum quantum ad exercitium actus, in quantum ipſum verum, quod eſt perfectio Intellectus, continetur ſub vniuerſali bono, vt quoddam bonum particulare, tamen Intellectus mouet voluntatem quantum ad determinationem Actus, quæ eſt ex parte obiecti, quia & ipſum apprehendit ſecundum ſpecialem quandam entitatem comprehenſam ſub vniuerſali ratione veri, vt docet S. Thomas 1. 2. qu. 9. art. 1. Quod idem repetit in Reſp. ad 3. docens, quòd non eodem modo voluntas mouetur ab Intellectu, & ſe ipſa, quia ab Intellectu quidem mouetur ſecundum rationem obiecti,

ᴄti, à ſeipſa verò quantum ad exercitium actus, ergò tantùm abeſt, quòd voluntas determinet Intellectum ad vnam ex opinionibus æquè probabilibus, quin potiùs voluntas ipſa determinatur ab Intellectu.

Probatur 3. à poſteriori, ſeu ab experientia, quia vt accuratè notauit Card. Pall. de act. hum. diſp. 8. art. 1 v. nemo experitur vnquã, ſe determinare ad vnam partem, ſi neſciat, eſſe in illa aliquid, à quo moueatur, ergo ſtante æquali probabilitate non eſt maior ratio, cùr Intellectus à voluntate flectatur potiùs in vnam partem, quàm in alteram.

Probatur 4. auctoritate Ariſt. 2. de Anima t. 153. vbi habet: non eſt eadem imaginatio, & opinio; hæc enim paſsio in nobis eſt, cùm volumus, licèt namquè, cùm libet, fingere, quicquid volumus; ſicut qui in memoratis verſantur, & ſimulacra faciunt, opinari autem non in nobis eſt, neceſſe eſt enim, aut falſum, aut verum dicere; ex quibus patet, Imagina-
tiuam

tiuam ad libitum voluntatis poſse diuerſa fingere, & imaginari, ſecùs Intellectum non poſſe ad nutum voluntatis quodlibet intelligere, & opinari, ſed mouendum eſſe à veritate obiecti, ergo quando non relucet veritas magis in vna opinione, quàm in altera, non poteſt voluntas imperare aſſenſum potiùs vni parti, quàm alteri.

Ad I. Reſp. Poſſe retorqueri argumentum, quia ſi voluntas eſt Regina potentiarum, debet earum bona particularia conſeruare, non deſtruere, at bonum Intellectus eſt ferri in verum, ergò quoties non relucet veritas in vna parte magis, quàm in altera, nòn poteſt voluntas tale imperiũ exercere. Deinde dico, tale imperium conſiſtere in eo, quòd moueat Intellectum, nè ſit otioſus, ſed exeat in aliquem actum.

Ad II. Reſp. Quòd ideò voluntas poteſt imperare actum circà obiectum obſcurum in materia fidei diuinę, quia præceſſit euidens iudicium credibilitatis obiecti;

iecti; ſecus ſi tale iudicium euidens non præceſsiſset, nam hoc euidens iudicium facit, quòd poſſit vnum potiùs obiectum credere, quàm aliud. Ad id, quòd dicitur de actibus obſcuris. Reſp. Aliud eſſe, quòd voluntas poſsit impedire actum obſcurũ ob aſſignatam rationem in arg. & aliud eſt, quòd poſsit impedire actus claros, aut impellere ad vnum potiùs obiectum, quàm ad alterum, nam ſicut voluntas non poteſt impedire oculum, quin videat albedinem præſentem, & quòd imaginatiua non iudicet, eſse bonum, quod eſt corpori iucundum, ſic non poteſt impedire, quin Intellectus in actum exeat, ſi habeat obiectum evidẽs, aut impellere in obiectum, in quo non reluceat ratio veri.

Ad III. Reſp. Diſparitatem eſse, quia voluntas eſt planè, & perfectè libera, & ideò poteſt ſe ſe determinare, Intellectus verò eſt potentia neceſsaria, & natura ſua determinata ad vnum.

Ad IV. Reſp. Diſparitatem eſse, quia ima-

imaginatiua non eſt determinata ad verum, ſecus Intellectus; imaginatiua enim ſe habet veluti pictor, qui efformat rerum imagines ſiuè verò, ſiuè falsò, & eſt exemplum, Ariſt. 2. de Anima t. 153. nec proinde Intellectus eſt deterioris conditionis, quia eſse determinatum ad verũ, non eſt imperfectio, ſed perfectio, ſicuti eſt perfectio, eſse determinatum ad non peccandum. hinc Aug. lib. 1. de *Præd. SS.* c. 15. An ideò in illo non libera voluntas erat, quantò magis peccato ſeruire non poterat?

Ad V. Reſp. Intellectum dubium dubietate largè ſumpta, & Intellectum probabilem coincidere, quod nonnulli vltrò concedunt relatiuè ad opinandum, & nos id fuſiùs infrà oſtendemus. Si ergò eſsent duæ iſtæ propoſitiones, Aſtra ſunt paria, Aſtra non ſunt paria, non poterit Intellectus aſsentiri, cui voluerit. Ità Vaſq. 1.2. diſp. 67. q. 19. art. 6. n. 3. contrà Caietanum 1. 2. q. 65. art. 4. & Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vn. ſect. 1. n. 7. contrà

trà alios ſuppreſsò eorum nomine relatos.

LECTIO TERTIA.

An ex duabus opinionibus de honeſtate obiecti actionis humanæ, quarum vna ſit probabilis, & ſtet pro libertate, & commodo; altera ſit probabilior, & ſtet pro lege diuina, & præcepto, hæc ſit præ illa Viro prudēti, & circūſpecto eligenda, & ſequenda.

VIdetur quòd non. Primò, quia Lex diuina eſt facilis, plana, & ſuauis, at ſi viro prudenti, & circumſpecto eligenda eſſet opinio probabilior, reiecta probabili, lex diuina redderetur aſpera, difficilis, & ardua, ergo. Maior patet ex variis locis Scripturæ, Matth. XII. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. 18. Latum mandatum tuum nimis: 1. Ioan. 5. Mandata eius grauia non ſunt. Prætereà leges humanæ in ſuauiorem, & benigniorem partem ſemper inclinant, vt habetur l. benignus ff. de leg. & c. final. de tranſact. Opinio benignior, & ſuauior præferri debet, ergò à fortiori Lex Diuina, cùm Deus, ſicut in cæteris omnibus, ſic in benignitate, & miſericordiæ longè vincat homines, ideò valdè difficilia, & moraliter impoſſibilia nunquam præcipit, vt habetur ex Trid. Seſſ. 6. ca. 18. Minor probatur, quia valdè difficile, imò moraliter impoſſibile eſt, ſeligere, & ſecernere probabiliorem opinionem à probabili, adeò vt viri experti, & in re morali exercitati, ingenuè fateantur, ſe id prorſus inuincibiliter ignorare.

Secundò; quia operatio, quæ à Prudentia regulata procedit, & quæ eſt ſecundùm rectam rationem, ſeù conſcientiam, certò, & infallibiliter eſt honeſta; ſed operatio, de cuius obiecti honeſtate, & bonitate, eſt probabilis opinio, eſt regula-

gulata à prudentia, à recta ratione, & conſcientia; (hæc enim tria, prudentia, recta ratio, & conſcientia in idem recidunt) ergò. Mai. patet ex communi illo Axiomate apud Moraliſtas recepto, *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*. Minor probatur, quia opinio probabilis, vel eſt authentica, & fundatur in opinione grauium D.D. pietate, & doctrina commendabilium; vel eſt rationalis, & fundatur in graui aliqua, & forti ratione, quæ enim leui ratione fulcitur, non eſt opinio probabilis, ſed improbabilis, ſeù veriùs ſuſpitio; at à nemine vnquam rationabiliter diſcurrente damnari poteſt tanquam temerarius, imprudens, & leuis corde, qui graui auctoritate, aut ratione fultus operatur, ergò.

Tertiò; quia ſummi Pontifices, quorum magna eſt Auctoritas, & penè diuina; in his, quæ ab Eccleſia non ſunt determinata, ſed verſantur ſub opinione DD. præſertim in Diſpenſationibus conceden-

ceden-

Digitized by Google

cedendis, ſequamur opiniones probabiles, rarò probabiliores; At hi prudenter, & honeſtè operantur, vt eſt in confeſſo, ergò.

Quartò; quia tunc, & in eo caſu quis non peccat, quandò elicit actionem certò licitam, & honeſtam, ſed quis ſequendo ſententiam probabilem relicta probabiliori, elicit actionem certò licitam, & honeſtam, ergo. Minor, in qua eſt difficultas, probatur, quia non repugnant iſta duo, imò potiùs benè ſe compatiuntur, actionem eſse certò, & infallibiliter licitam, & honeſtam, obiectum verò, de quo eſt talis actio, non eſse certò, & infallibiliter honeſtum, ſed eſse tale tantùm veroſimiliter & probabiliter, tùm quia certa, & infallibilis honeſtas actionis non poteſt deſumi à certitudine honeſtatis obiecti, quæ poſſibilis non eſt, ergo deſumitur à probabiliate honeſtatis obiecti, & regulabitur ab illo principio vniuerſali; *Qui amplectitur obiectum probabiliter honeſtum, non peccat, ſed licitè &*

honeſtè operatur. tùm quia certa,& infallibilis honeſtas actionis non deſumitur ab honeſtate phyſica, & reali in ipſo obiecto independenter à iudicio, & apprehenſione intellectus, ſed ab honeſtate obiecti, vt iudicata, & approbata ab intellectu operantis, patet enim,quòd quãdo quis operatur ſecundum conſcientiam erroneam,putans, & ſibi perſuadens, eſſe bonum, quod eſt malum, non peccat, & quando è contrà apprehendit, & ſibi perſuadet, eſſe malum, quod eſt bonum, & honeſtum, peccat; & hæc eſt aperta doctrina D. Thomæ p.2.q. 19. art. 5. & communis. ergo ſi detur probabilis opinio de honeſtate obiecti, & quis certò apprehendat,& certò ſibi perſuadeat, honeſtatem ineſse obiecto,motus ea opinione, ſeù illi opinioni innixus, poteſt elicere operationem certò, & infallibiliter honeſtam, atque adeò minimè peccaminoſam.

Quintò, quia poteſt formari iudicium practicum certum, quòd ſequi opinionem

nem probabilem concurrentem cùm probabiliori, non ſit peccatum, ſed qui à tali iudicio certo practico regulatur, non peccat, tale enim iudicium practicum certum eſt ipſamet certa conſcientia, quam ſequens non peccat, & eſt doctrina communis, & D. Thomæ tùm loco cit. tùm quodlib. 8. art. 13. ergo. Maior probatur, quia non deſunt validæ & efficaces rationes, quæ probant in ſequenda probabili non committi peccatum, ergo aliquis ab illis rationibus motus poteſt formare hoc iudicium certum: qui ſequitur opinionem certò probabilem, non peccat, ex quo iudicio quodammodo ſpeculatiuo, ſequitur poſteà, dum quis vult actu operari, practicum iudicium certum, quòd illa operatio hìc, & nunc ſit licita, & honeſta: dicitur, qui ſequitur opinionem certò probabilem, nam datur opinio probabiliter probabilis, de qua non procedit præſens argumentum, quod ſolet ab Aduerſariis doctioribus, & cautioribus proponi, &

vrgeri, tanquam eorum Achilles.

Sextò; quia qui ſequitur tutiorem, & minùs probabilem relicta nimis tuta, & probabiliori, non agit imprudenter, nec peccat, aliàs qui ſtatim poſt peccatum habita copia Confeſsarii, & opportunitate confiteretur, imprudenter ageret, & peccaret, quod eſt abſurdum, ergò iam licet ſequi minùs probabilem.

Nequè dicas, id valere, quando minus probabilis eſt tutior, vnde id, quod deeſt illi opinioni de probabilitate, ſuppletur ex eo, quòd ſit magis tuta.

Contrà enim eſt, quia actus in ſpecie prudentiæ non cohoneſtatur, niſi à formalitate, quæ per ſe reſpicitur à prudentia in obiectis eligendis, ſed prudentia in obiectis eligendis non reſpicit rationem tuti, ſed rationem honeſti, & honeſtas deſumitur ex rationibus illud licitum proponentibus, quæ rationes ſunt probabiles, ergò à ratione probabilis, non tuti conſtituitur actus in ſpecie prudentiæ, ergo ratio tuti merè materialiter

ſe

ſe habet ad prudentiam, & ideò in eius actum non poteſt refundere honeſtatem prudentiæ.

Septimò; quod eſt probabile ſimpliciter, poteſt opinari verum etiam in concurſu probabilioris, ſed quod poteſt opinari verum, poteſt eligi, vt eſt in confeſso, ergo vtrumque probabiliter poteſt eligi. Maior, in qua eſt difficultas, probatur primò, quia etiam ſi probabilis opinio concurrat cum probabiliori, adhùc retinet per ſe firmum, & validum fundamentum, quod motiua probabilioris non expugnant, quamuis validiora, ſed ſolùm inducunt magnam formidinem in illa opinione, à qua talis formido non excluditur, ſed potiùs includitur, nam omnis opinio formidinem includit, vt de ſe patet. & ſanè, ſi motiua validiora probabilioris debellarent omninò motiuum validum minùs probabilis, non poſſet probabilior formidare de oppoſita iuſta formidine, & ſic non eſſet ampliùs opinio, id enim euidens euaderet

ret penitus excluſa omni formidine. *P*robatur 2. eadem Mai. quia minùs probabilis concurrens cum probabiliori, eſt probabilis ſimpliciter, ergò etiam in concurſu eſt talis, nec enim, quia concurrit cum probabiliori, amittit fundamentum ſolidum, & firmum, cui innitatur, ad ſummum enim tale fundamentum ſoluitur à probabiliori; at non ſoluitur, niſi probabiliter, quo pacto etiam minùs probabilis ſoluit fundamenta, & motiua probabilioris; ſi enim tale fundamentum minùs probabilis ſolueretur, & non probabiliter, ſed euidenter, iam opinio minùs probabilis appareret falſa, quod eſt abſurdum.

Octauò; opinio probabilis tollit dubium omninò de honeſtate actionis, ergo ſuo libito poterit in praxim deduci, qui enim non dubitat de honeſtate actionis, poteſt agere licitè. Antecedens, in quo eſt difficultas, probatur; quia honeſtas actionis dependet ab honeſtate obiecti non prout in ſe, ſed prout apprehenſa, & iudi-

iudicata honeſta eo ipſo, quòd probabiliter eſt talis, & intellectus ſibi certò perſuaſit, materiam, de qua eſt actio, eſse probabiliter honeſtam, licèt fortaſsè talis non ſit in se, ergo. Min. probatur, quia iudicium honeſtans actionem non eſt iudicium, quòd materia ſit honeſta, ſed ſolùm probabilitas, quòd ſit honeſta, hoc autem perſeuerat practicè certum etiam ſtante dubio ſpeculatiuo de honeſtate materiæ.

Nonò; non minùs periculosè erratur in materia fidei, quàm in materia morũ, ſed in materia Fidei licitè,&ſinè peccato eliguntur propoſitiones, dummodò probabiles ſint etiam in concurſu cum probabilioribus, ergò etiam in materia morum. Minor probatur, quia in c. damnamus de Summa Trin.& Fide Cath. damnatur opinio Abbatis Ioachim, quæ certè erat minùs probabilis, quàm Magiſtri ſententiarum, quæ fuit à Concilio approbata, & tamen non per hoc Abbas Ioachim peccauit, vt habet Gloſ. ibi. Item in

Concilio Viennen. fuit approbata tanquam probabilior ſententia illorum, qui dicebant, Paruulis in Baptiſmo ſimul infundi gratiam, & virtutes; nec tamen illi, qui anteà ſentiebant oppoſitum, peccauerunt, quia ſententiam probabilem licèt minùs, ſic teſtante Concilio, ſuſtinebant; quod idem in materia morum dixiſse Gloſ. in c. Capellanus de feriis v. Alij, interpretatur Io. Andræas relatus ab Abbate eodem c. n. 5. ſcilicèt antè definitionem Pontificiam non peccaſſe, qui oppoſitam partem, licèt minùs probabilem, fuerant ſecuti, & hæc eſt ratio Cancell. Pariſien. relata à Nauarro in c. ſi quis de Pœnit. d. 7. n. 53.

Decimò; quia ſententia de ſequenda probabili fuit defenſa ab antiquiſsimis Theologis Alberto Magno in primis, cuius inter cætera hoc habetur reſponſum relatum à S. Antonino p. p. c. 10. Quòd frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quancũq; opinionem voluerit, dummodo alicuius

Docto-

Doctoris magni opinionem ſequatur, quod eſt idem, ac dummodò probabilis verè ſit; ſimile quid habet D. Thomas Quodlib. 3. art. 10.

Vndecimò; quia videtur ſententia Probabiliſtarum eſse defenſa à Canoniſtis, quò ſpectat primò c. Sicut quædam diſt. 17. vbi dicitur, in his, quæ fuerint dubia, & obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis euangelicis, nec dictis SS. PP. inueniatur aduersũ. Secundò Innocentius c. Nè innitaris de Conſt. vbi dicit, quando SS. PP. habent diuerſas opiniones, licèt vnicuiquè, quam vult, eligere. Abbas ibidem, & c. Capellanus de Feriis, vbi dicit, quòd non peccat, non ſeruans ius præcepti, quandò ſunt variæ opiniones, etiamſi conſtet poſtea contrariam opinionem fuiſſe veram, & ſuam non ita ſubtiliter inueſtigatam. Tertiò in c. Tua nos de vſuris docetur, poſſe nos agere contrà communem opinionem, quando communis non probatur iure, vel per rationem, cui non poteſt reſponderi;

Hoc

Hoc idèm dicit Io. Andræas relatus ab Abbate hìc, & in c.de feriis cit.

Duodecimò; quia in aliis rerum generibus occurrunt plurá,quibus præſtitis æquè certò vitantur peccata, atque vſu opinionis probabilioris, & tutioris, & quibus omiſſis adeſt periculum incurrẽdi in actiones contrarias legi Dei non minùs, quàm contempto propoſito vtendi opinione probabiliori, ac tutiori,& tamen illa non præcipit Deus, ſed tantũ conſulit; patet conſequentia, quia nulla eſt ratio credendi ſeueriùs egiſſe Deum quò ad vſum opinionum, quàm quò ad electiones aliarum rerum; & ratio eſt, quia Deo non ſunt adſcribendæ leges afferentes maiora incommoda,quàm commoda,& imponentes onera grauia,& importabilia, tales autem ſunt leges obligantes ad ſequelam opinionis probabilioris, & tutioris, quàm cætera opera conſilij, quæ præſeruant à peccato formali, ſicut illæ à peccato materiali, quia non minus difficillimum eſt, ſemper ſe con-

forma-

formari opinioni probabiliori, quàm omnibus conſiliis, aut alicui ex illis. Antecedens verò probatur, quia ingreſsus in Religionem exactiſſimæ obſeruantiæ, aſſidua nouiſſimorum conſideratio, meditatio, ſollicitudo quærendi occaſionem martyrij animo ad id benè præparato, conſiliorum deniquè omnium executio tandundem procul dubio valent ad vitanda peccata, ac propoſitũ vtendi ſemper opinione probabiliori, ac tutiori, illisquè omiſsis adeſt periculum incidendi in peccata, ſicut & contempto propoſito vtendi opinione minùs probabili.

Decimotertiò; Si teneretur quis ſub præcepto ſequi opinionem probabiliorem, teneretur etiam ſemper ſub lethali ad perfectam contritionem, vel confeſsionem immediatè poſt primum inſtans cuiuſcunquè peccati mortalis, & peccaret denuò pro ſingulis inſtantibus, pro quibus differrentur perfecta contritio, & confeſsio tùm de primo peccato, tùm de quauis interpoſita iuſtificationis mora:

debe-

Digitized by Google

deberent omnes ſingulis diebus feſtis excitare in ſe dolorem de peccatis, explicanda eſſet in confeſſione circunſtantia peccati die feſto commiſsi ; & innumera his ſimilia fas eſt enumerare,&colligere ex quauis Summa morali, quia in ſingulis quæſtionibus adeſt ſemper altera ex opinionibus tutior.

Nequè dicas ; ſententias propoſitas eſse quidem tutiores, ſed non probabiliores,

Contrà enim eſt, quia in primis apud Probabiliores illæ etiam ſunt probabiliores,ſicut & tutiores ; Deindè eſt difficilis,ſaltem vt plurimum,diſcretio inter maiorem, & minorem probabilitatem ; ideòquè foret frequenter perplexitas, & implicatio conſcientiæ. *Prætereà* reddēda eſt ratio, cur tàm exiguum diſcrimen maioris,& minoris probabilitatis ſe ſolo ſit ſufficiens cæteris paribus ad ponendū diſcrimen, quod ſanè eſt maximum inter peccatum mortale,& actum bonum : deniq; , ſicut in aliis rebus materia conſilij

non

non conſiſtit in indiuiſibili, ſuſcipit magis, & minus, & etiam vſus opinionis tutioris, quando eſt minùs probabilis ſit materia conſilij, & non eſt materia conſilij licèt vrgentioris, quando opinio erit æquè probabilis, aut probabilior? Addito præſertim, quòd ſicuti maior, aut minor indigentia pauperis non variat ſpeciem ſubuentionis, & miſericordiæ, ità maior, vel minor probabilitas non poteſt variare ſpeciem electionis peccaminoſã, ſecùs maior probabilitas.

Decimò quartò: quia cùm voluntati euidenter innoteſcat, ſe eſse ſui iuris, & cæteras potentias eſse ſibi naturaliter ſubiectas, dum non innoteſcit euidentia pari, reſtringi ſibi lege aliqua contraria dominium quòad aliquem eorum actum, non deturbatur à priori poſseſſione, & poteſt imperare, vt volet, nec tenetur admittere incertas iuris certi exceptiones, nempè leges omnes, quas Deus imponit homini, ſunt exceptiuę iuris vniuerſalis, quod eidem naturaliter indidit, ergò omnia

Digitized by Google

nia inferiora tùm ad intrà, tùm extrà hominem ipſum; at quænam ſententia ſit probabilior altera, & quòd probabilior ſit ſequenda, non innoteſcit voluntati pari euidentia, ac illi innoteſcit libertas propria, hæc enim illi innoteſcit euidentia metaphyſica, ſeù mathematica, ſecùs illa, ergò.

Decimò quintò. Inter duos Reges poteſt dari bellum iuſtum ex vtraq; parte, vt cõmuniter docent Theologi, ſed hoc non poteſt aliundè peti, & ſaluari, quàm ex vſu probabilitatum, ſeù ex eo, quòd quilibet Rex ſequitur tuta conſcientia opinionem probabilem relicta probabiliori, ergò.

Decimò ſextò. Potiſsima ratio, ob quam ponitur eſse ſequenda probabilior, eſt, quia qui ſequitur opinionem probabilem, exponit ſe periculo peccati, cùm enim opinio probabilis includat formidinem de parte oppoſita, & poſsit eſse falſa, qui ſequitur opinionem probabilẽ, dictantem, obiectum eſse honeſtum, poteſt

teſt iuſtè, & rationabiliter dubitare, & formidare, non eſse honeſtum, ſed hæc ratio æquè militat in eo, qui ſequitur probabilem, quia cùm probabilior ſit in linea probabilium, includit formidinem de parte oppoſita, & poteſt eſse falſa, ergo ruit illa ratio potiſsima, & fundamentalis, vel æquè militat in vtraquè; ſed ex alia parte probabilis eſt facilior, & cõducit ad vitanda plura peccata, ergò.

Decimòſeptimò, quia altera ratio etiam potiſsima, firma, & fundamentalis, ob quam ſequenda eſt probabilior, eſt quia, cũ aſſenſus opinionis probabilis, ſit formidoloſus, non videtur fieri poſſe, vt ſit prudens, prudentia enim inclinat ad verum, cùm virtus ſit, ſed benè poteſt ſtare aſſenſus formidoloſus cum prudentia, aſſenſus enim fidei humanæ eſt formidoloſus, & ſimul prudens, ergò. Prætereà etiam aſſenſus opinionis probabilioris eſt formidoloſus ob rationem mox ſuprà allegatam, ergò.

Sed contrà eſt Dicendum, Ex duabus

opi-

opinionibus de honeſtate obiecti actionis humanæ, quarum vna ſit probabilis, & ſtet pro libertate, & commodo; altera probabilior, ſeù moraliter certa, quæ ſtet pro pręcepto, & lege diuina, hęc ſequenda eſt viro prudenti, & circumſpecto, illa reijcienda.

Dixi primò, *quarum vna ſit probabilis, & ſtet pro humana libertate, & commodo*, quia nimirùm opinio probabilis cũ probabiliori poteſt dupliciter comparari; primò quidem quoad materiam, & obiectum purè ſpeculatiuũ, vt fit in plerisq; quæſt. Philoſophicis, & Theologicis, vt An poſsit idem numero corpus eſse in duplici loco, An ad videndum Deum clarè, & intuitiuè poſsit dari ſpecies impreſſa; & in hac materia licere cuiquè, quam maluerit, opinionem ſequi, ferè conueniunt vtriusq; ſententiæ DD. Dixi, ferè conueniunt, quia adhùc aliqui ſunt, qui mordicus defendunt, ſequendam eſſe probabiliorem, nè periculis errorum ſubijciatur Intellectus ſequendo minùs

Digitized by Google

minùs probabilem. Secundò ſententia probabilis poteſt comparari cum probabiliori in materia morum, quæ habet relationem ad peccatum, & culpam, vt: An itinerantes teneantur ieiunare, An Die Dominica teneamur elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia: & in hac materia poteſt fieri comparatio tripliciter. Primò quidem ſi tàm probabilis, quàm probabilior ſtent pro lege, & præcepto. v.g. An Iudex poſsit condemnare eum, quem ex priuata conſcientia cognoſcit innocentem; nocentem verò, & reum ex allegatis, & probatis. Secundò ità vt minùs probabilis ſtet pro libertate, & commodo, probabilior verò pro lege diuina, & præcepto, vt An in re venerea detur paruitas materiæ; nam negatiua eſt probabilior, affirmatiua eſt minùs probabilis, nè dicam improbabilis. Pariter, An Religioſi choro deputati, & Moniales teneantur recitare diuinum officium, nam Affirmatiua eſt probabilior, negatiua eſt minùs probabilis,: Tertiò ità vt pro li-

bertate,& commodo ſtet æquè probabilis,aut paulominùs probabilis,vt An ſtatim,ac homo peruenit ad vſum rationis, teneatur elicere actum amoris Dei ſuper omnia, & ad Deum ſe conuertere.

Et quidem in primo caſu conueniunt DD.cuiquè licere,quam maluerit,ſequi, & non teneri; quem ex præcepto ſequi probabiliorem, ſed ſolùm ex conſilio, aliàs teneremur ſequi, ſeù operari ſemper perfectius,& perfectius, quod eſt falſum. In idem recidit, quod alii dicunt; ſi darentur duæ viæ tutæ,non teneremur ſequi tutiorem ex præcepto,ità benè advertunt S.Antoninus 1.p.*Sum*.tit.3.c.10. §.10.& Nauarrus in Man.c.27.n.286. & in c. ſi quis autem à n. 34.

Hìc quoque valdè notandum eſt, non pro eodem ſumi minùs probabilem, & probabiliorem;ac minùs ſeueram, ſeù rigidam,ſeù laxam;& ſeueriorem,ſeù rigidiorem,ſeù ſtrictiorem; nam ſi minùs ſeuera, ſeù rigida, ſeù laxa; & ſeuerior, rigidior,ſtrictior ità ſe habeant, vt vtraq;

ſtet

ſtet pro lege diuina, & præcepto, licitum eſt quamcunque ſequi, & conſilii eſt, ſequi ſeueriorem, rigidiorem, ſtrictiorem. v.g. in die ieiunii pro collatione ſerotina minus ſeuera, rigida, ſeù laxa ſententia admittit; licitam eſse comeſtionem octo vnciarum panis; at ſententia ſeuerior, rigidi or, ſtrictior, admittit eſse licitam comeſtionem trium tantùm vnciarum panis. Si verò minùs ſeuera, rigida, ſeù laxa ſtet pro libertate, & commodo, ſeuerior verò, rigidior, ſeu ſtrictior pro lege diuina, & præcepto, vt an Itinerantes teneantur ieiunare, hic eſt caſus noſtræ Concluſionis, in qua dicimus, ſequendã eſse ſeueriorem, rigidiorem, ſtrictiorem, & probabiliorem; hoc adnotato obuiis vlnis excipient concluſioné noſtram omnes illi, qui cùm pro eodem ſumerent ſeueriorem, & probabiliorem generatim, à nimia ſeueritate deterriti, ſententiam de ſequenda probabiliori exhorruerant; In hoc ſenſu eſse locutos antiquiores Probabiliſtas Suarez, Vaſquez, & Salas,

bertate,& commodo ſtet æquè probabilis,aut paulominùs probabilis,vt An ſtatim,ac homo peruenit ad vſum rationis, teneatur elicere actum amoris Dei ſuper omnia, & ad Deum ſe conuertere.

Et quidem in primo caſu conueniunt DD.cuiquè licere,quam maluerit,ſequi, & non teneri; quem ex præcepto ſequi probabiliorem, ſed ſolùm ex conſilio, aliàs teneremur ſequi, ſeù operari ſemper perfectius,& perfectius, quod eſt falſum. In idem recidit, quod alii dicunt; ſi darentur duæ viæ tutæ,non teneremur ſequi tutiorem ex præcepto,ità benè aduertunt S.Antoninus 1.p.*S*um.tit.3.c.10. §.10.& Nauarrus in Man.c.27.n.286. & in c. ſi quis autem à n. 34.

Hìc quoque valdè notandum eſt, non pro eodem ſumi minùs probabilem, & probabiliorem;ac minùs ſeueram, ſeù rigidam,ſeù laxam;& ſeueriorem,ſeù rigidiorem,ſeù ſtrictiorem; nam ſi minùs ſeuera, ſeù rigida, ſeù laxa; & ſeuerior, rigidior,ſtrictior ità ſe habeant, vt vtraq;

ſtet

ſtet pro lege diuina,& præcepto, licitum eſt quamcunque ſequi, & conſilii eſt, ſequi ſeueriorem, rigidiorem, ſtrictiorem. v.g. in die ieiunii pro collatione ſerotina minus ſeuera,rigida,ſeù laxa ſententia admittit; licitam eſse comeſtionem octo vnciarum panis; at ſententia ſeuerior, rigidi or, ſtrictior, admittit eſse licitam comeſtionem trium tantùm vnciarum panis . Si verò minùs ſeuera, rigida, ſeù laxa ſtet pro libertate, & commodo, ſeuerior verò, rigidior, ſeu ſtrictior pro lege diuina,& præcepto,vt an Itinerantes teneantur ieiunare, hic eſt caſus noſtræ Concluſionis, in qua dicimus, ſequendã eſse ſeueriorem,rigidiorem, ſtrictiorem, & probabiliorem; hoc adnotato obuiis vlnis excipient concluſioně noſtram omnes illi, qui cùm pro eodem ſumerent ſeueriorem,& probabiliorem generatim, à nimia ſeueritate deterriti, ſententiam de ſequenda probabiliori exhorruerant; In hoc ſenſu eſse locutos antiquiores Probabiliſtas Suarez, Vaſquez,& Salas,

Digitized by Google

aſſerentes, licitam eſse ſequelam opinionis minùs probabilis, minus ſeueræ, ſeù minùs rigidæ, ſtantis tamen pro lege diuina, & præcepto, puto.

In Secundo, & Tertio caſu procedit præſens controuerſia, & eſt maxima hac tempeſtate moraliſtarum, & Doctorum opinionum diſſenſio; contendunt enim Probabiliores, ſeu Probabilioriſtæ, ſequendam eſse ex præcepto probabiliorem, aut ęquè probabilem, aut etiam paulòminus probabilem ſtantem pro lege, & præcepto, Probabiliſtæ verò defendunt, licitum eſse, ſequi vtcunquè probabilem, quamuis ſtet pro libertate, & commodo.

Dixi 2. in Concluſione, *Probabilior, ſeù moraliter certa*, quia ad operandum licitè, & honeſtè debet quis eſse certus de honeſtate obiecti, non quidem certitudine mathematica, quæ ſemper eſt coniuncta cum ſumma claritate, & euidentia, hæc enim vt plurimum haberi non poteſt in materia morali, imò vix aliquan-

do

Digitized by Google

do habetur in materia phyſica, & philoſophica, & ideò dixit olim Ariſt. 3. met. c. 1. t. 14. De omnibus demonſtrationem eſſe, impoſſibile eſt, ſiquidem neceſſe eſt ex quibuſdam circà quidpiam, & quorundam demonſtrationem eſſe. Idem repetit 2. met. c. 3. t. 16. Sed nequè debet eſſe certus certitudine metaphyſica, cui repugnat ſubeſſe falſum, quia huiuſmodi certitudo, vel eſt coniuncta cum teſtimonio diuino, vt in obiectis fidei, vel cũ ſumma euidentia, vt in obiectis quibuſdam naturalibus: debet ergo quis eſſe certus certitudine morali; illa autem eſt certitudo moralis, quæ hìc, & nunc excludit formidinem, & dubitationem de parte oppoſita, quam formidinem ſemper habet adiunctam tanquam prædicatum eſſentiale, vel tanquam proprietatem opinio vtcunq; probabilis, ſiuè iſta probabilitas ſit authentica, hoc eſt, deſumpta ex auctoritate grauium DD. ſiuè ſit rationalis, hoc eſt, deſumpta ex graui ali-

Digitized by Google

qua, & forti ratione, hæc enim eſt locutio, & phraſis Probabiliſtarum.

Dixi 3. *pro lege Diuina, & præcepto*, quia tunc probabilior, & certa moraliter ſequenda eſt, quando ſtat pro lege diuina, & præcepto, lex enim diuina peccatũ implicat, ſeù inuoluit, at leges humanæ non omnes peccatum inuoluunt, nec earum obſeruantia ſemper obligat ſub peccato, ideò mutabiles ſunt, & variabiles ſecundùm varias circunſtantias loci, temporis, neceſsitatis, maioris mali vitandi, & huiusmodi; ità habetur c. Neceſsaria 1.q. 7. vbi Pontifex ſummus ità loquitur; Neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, & Apoſtolicæ Sedis moderamine conuenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum, deceſsorumq; noſtrorum præcepta metiri, vt quę pręſentium neceſſitas temporum in reſtaurandis Eccleſijs, relaxanda depoſcit, adhibita diligenti conſideratione, quantum poteſt fieri, temperemus; & c. ſequenti, Quod pro remedio, & ne-

Digitized by Google

& neceſsitate temporis ſtatutum eſt, conſtat primitùs non fuiſſe; & infrà. Quòd ergo neceſſitas pro remedio expetit, ceſſante neceſsitate debet vtiquè ceſſare pariter quod urgebat, quia aliud eſt ordo legitimus, aliud quod vſurpatio ad præſens fieri, tempus impellit; & Gloſ. hìc, Cauſa ſublata tolli conſtitutionem ex eadem cauſa ortam.

Dixi 4. *Viro prudenti*, quia talis electio probabilioris præ probabili, cùm ſit actio moralis, & agibilis, debet omninò regulari, & dirigi à Prudentia, quam eſse rationem, & regulam agibilium, infrà dicemus.

Dixi 5. & addidi, *circumſpecto*, quia qui prudenter operatur, debet neceſsariò eſse circumſpectus, eſt enim circumſpectio pars prudentiæ neceſsaria, vt docet S. Thomas 2.2.q.49. art. 7. At circumſpectus eſt is, qui proſpicit bonitatem finis ſeù obiecti ſecundùm circunſtantias, illum comitantes, & ſignanter debet homo, quod ordinatur in finem, comparare,

Digitized by Google

etiam cùm his,quæ circumſtant,vt loquitur D.Thomas ibi,& ideò antequàm eliciatur ab Intellectu prudentis dictamen practicum de bonitate, & honeſtate obiecti hìc,& nunc proſequenda,debet proſpicere omnia, quæ talem honeſtatem circumſtant, ſed ea,quæ talem honeſtatẽ circumſtant, ſunt ſententiæ oppoſitæ de illa honeſtate,ergo Intellectus,antequam eliciat huiuſmodi dictamen, debet inquirere ſententias oppoſitas de tali honeſtate,& bonitate, illaſquè expendere, tùm ſibi ſtabilire certitudinem reiecta formidine partis oppoſitę, quod ipſemet clariſſimè docuit Ariſtoteles ſolo lumine naturali illuſtratus 3. met.c.1. verſus finem,vbi habet,meliùs ſe habere neceſſè eſt, illum ad iudicandum, qui tanquam Aduerſarius omnes vtrinquè rationes oppoſitas audiat,&,vt benè aduertit Valentia p.1. diſp.5.q.3.p.3. D.Thomas 1. 2.q.57.art.6.ex Ariſt. 6. Eth. c.9. & 10. nomine *Prudentiæ* non venit vnus habitus, ſed aggregatum ex quatuor habitibus, & virtutibus, quarum prima eſt Eubulia,

Digitized by Google

bulia, ideſt; virtus ad conſultandum de operandis, ideſt, ad inquirenda ea, & expendenda, quæ ad actionem rectè inſtituendam attinere poſſunt in quouis negotio. Secunda eſt Syneſis, virtus, ſcilicèt, ad iudicandum benè, ſeù concludendum ſecundùm legem cõmunem; Tertia eſt Gnome, ad iudicandum benè ſecundùm rationem, quando lex communis deeſt; Quarta eſt præceptiua, quæ imperat actum practicum eliciendum; ex his ergò manifeſtè concluditnr, quòd antequàm Intellectus eliciat actum practicum vltimum, debet ponderare ſententiam oppoſitam de honeſtate obiecti, circà quod, ſeù de quo eſt talis actus; in caſu autem, quo quis negligeret, vel nõ aduerteret ad huiusmodi circunſtantias, imprudenter ſe gereret, & peccaret formaliter, ſubſequentes verò transgreſſiones eſſent peccata tantùm denominatiuè, quia in tali caſu is ſe haberet, vt ille, qui ſe inebriat, & poſteà blaſphemat, vel fornicatur; &, vt ille, qui proijcit Breui-

arium

arnum in mare; & poſteà omittit recitare officium, nam illa inebriatio, & proiectio Breuiarij in mare eſt peccatum formale, ſequentes verò tranſgreſſiones ſunt peccata denominatiuè. Sic ergò explicata Concluſio

Probatur Primò ex Sacra Scriptura, quia ijs verbis; arcta eſt via, quæ ducit ad Regnum, Matt. 7. Sanctiſſimus D. N. Alex. VII. in Decreto S. Inquiſitionis edito die 24. Septembris An. 1655. declarauit, definitum eſſe à Chriſto Domino, viam ſalutis eſſe arctam, anguſtam, atquè difficilem, ergò non poſſum non mirari, Baſſæum, Caramuelem, aliosquè Probabiliſtas, ideò ſententiæ de ſequenda opinione probabili adhæſiſſe, quia per eam via ſalutis redditur facilis, lata, & ſpatioſa, reieciſſe verò ſententiã de probabiliori opinione, & moraliter certa neceſſariò, ſeù ex pręcepto ſequenda, quę adducto S. Scripturæ textui, & Chriſti Euangelio eſt magis conſona, atquè conformis; & vt vis argumenti clariùs attentè, & maturè conſide-

ſiderāti innoteſcat, adducam Decreti S. Inquiſitionis priùs, tùm Baſsæi verba. Et quidem Decreti verba ſunt. Quarè nè vllo vnquam tempore Via ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam eſſe, definiuit, in animarum perniciem dilatari, ſeù veriùs peruerti contingeret, idem Sanctiſſimus, vt oues ſibi creditas ab huiuſmodi ſpatioſa, laxaquè, per quam itur ad perditionem, via, pro ſua paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam euocaret, &c. Verba Ægidij Baſſæi in ſuis Operibus Theologicis pag. 204. v. Conſcientia n. 21. ſunt, videlicèt; ex opinionum varietate iugum Chriſti ſuauiter ſuſtinetur; poſſet namquè euenire, pleroſquè homines rebelles ſe prodere, ſi ad aliquid determinatè agendum conſtringerentur eo modo, quo renituntur mandata Dei naturalia implere, quòd in illis decretum iam ſit determinatè abſquè opinionum varietate, quid agere oporteat, vel minùs; prouidentia ergò ſuperna cautum eſt; v-

nicam

Digitized by Google

nicam tantùm viam operationum moralium non dari; & infrà. Demum quid prodeſt, imò quid non obeſt, coarctare plus iuſto mandatum Dei, quod eſt latũ nimis? Quid inſuper expedit amariùs, grauiuſquè reddere illud Chriſti iugum, quod ſuaue eſt,& onus eius leue?

Probatur Secundò Concluſio pariter ex Scriptura, quia Eccl. 3. dicitur; *Cor ingrediens duas vias non habet ſucceſſus, & prauus corde ſcandalizabitur in eis.* vbi Gloſ. interlinealis; Permiſcens vera falſis, ſanam enim doctrinam non ſuſtinent, ſed ſecundùm ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros prurientes auribus,& ideò non habent ſucceſſus, indè fit, vt prauus corde ſcandalizetur in eis, ideſt, cadat, & peccet; At illi ſanè videntur ingredi duas vias, & permiſcere vera falſis, ideſt, probabilia moraliter certis, qui docent, non ſolùm ſequelam opinionis probabilioris,& moraliter certæ, ſed etiam ſequelam opiniouis vtcunquè probabilis, & incertæ, conducere ad ſalutem, atquè

adeò

Digitized by Google

adeò duas vias, ſeù duas opiniones alioquin contrarias, ponunt ad ſalutem ducentes, ergo eorum ſententia videtur ex hac ſcriptura reiecta, ergo prȩeligenda eſt ſententia, quæ vnam tantùm viam, eamq; certam moraliter ponit conducentem ad ſalutem. Ponunt autem duas iſtas vías manifeſtiſſimis verbis Baſsæus, & Caramuel; hic quidem in Theol. Reg. diſp. 6. art. 3. Baſſæus verò loco ſupracit. vbi præter adducta verba habet; Præſtat plures eſſe vias ad Matritum ducentes, quàm vnam; ſi vnica tantùm via reperiretur, vel illam nimis latam eſſe, oporteret, aut per eã tranſeuntes impediri, & cum moleſtia pergere, eſset opus. At verò ſententia defendens ſolam, & vnam Probabiliorem opinionem eſſe ſequendam ex præcepto, vnam tantùm viam ponit ad ſalutem, ergò hæc prȩ illa eligenda. Hinc D. Gregorius loquens de Vaccis com. in 1. Reg. c. 6. Domini arcam trahentibus, quȩ itinere vno gradiebãtur; vno, inquit, itinere, electos gradi dominus inſinuat, dicens;

dicens; ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; at non eſſet ſimplex, ſi duplici graderetur via, quia qui duplici graditur via, eſt quoquè duplici corde. Eccleſiaſt. 2. Væ duplici corde, labijs ſceleſtis, manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs, ideoquè etiam in Decreto S. Inquiſitionis, Sanctiſſimus; dicitur, modus iſte opinandi nouus alienus ab Euangelica ſimplicitate, ergò vna debet poni ſalutis via.

Prætereà quia via ad ſalutẽ eſt Chriſtus, at Chriſtus eſt vnus, vt definitum eſt in Concilio Epheſino contrà Neſtorium, ergò non benè adſtruitur duplex via. Conſequentia eſt clara. Antecedens primò patet ex illo Euangelij, Ego ſum via, veritas, & vita, Ioan 14. Deindè ex D. Cyrillo epiſt. ad Reginas. Via eſt Chriſtus, qui eſt vnus, impium eſt enim, & Neſtorianum, D. Ieſum Chriſtum in duos diuellere. Matth. 23. Vnus eſt magiſter veſter, ergò non rectè adſtruuntur duæ

viæ

Digitized by Google

viæ cum Aduerſarijs, ſed vna tantùm ponenda, ſicuti vnus eſt Deus, vna fides, vnum Baptiſma, deniquè vna veritas.

Probatur Tertiò Concluſio Auctoritate Generalium Conciliorum: ſed priùs ſuppono ſententiam communem; eam, ſcilicèt, quam ſequitur maior pars, cæteris paribus eſſe quoque probabiliorem. Dixi, cæteris paribus, quia contingit aliquandò, ſententiam pauciorum DD. aut etiam vnius Doctoris validioribus rationibus munitam, eſſe probabiliorem, ſed hoc excepto caſu ſententia communior, eſt etiam probabilior. ità Hoſtien. in c. de ijs, quæ fiunt à maiori parte, docet enim ibi; communiorem opinionem ſemper eſse tenendam, niſi notoriè malè dicat, vel rationabiliter conuincatur. D. Baſilius lib. 1. de Filio, & Spiritu Sancto contrà Eunomium, dixit, non reuerebimur Chriſtianorum, qui amplectuntur ὁμοούσιον, multitudinem? In cauſa Cyrilli Epiſcopi Alexandrini Sedis Apoſtolicæ Legati aduerſus Neſtorium in Concilio

Ephe-

Epheſino. S. Dalmatius S. P. Archimandrita in Templo S. Mocij Martyris cùm ſuggeſtum aſcendiſſet, à Popolo, S. P., & parte Cyrilliana præſertim quæſiuit; Sex millia nè Epiſcoporum audire vellent, an vnum hominem, eumquè impium? Vide Acta Concil. Epheſ. t. 2. c. 20.

D. Auguſtinus epiſt. ad Marcellinum docet, communem ſenſum Eccleſiæ æquiualere auctoritati Scripturarum; & epiſt. 99. ex eo probat, Adam ſalutem conſecutum, quiaità Eccleſia ferè tota conſentit; colligit pariter D. Auguſtinus veritatem fidei catholicæ aduerſus Donatiſtas ex multitudine contrarium ſentientium.

In electionibus canonicis patet ex vſu, & praxi ab omnibus recepta, quòd maior pars uincit: Apud Scholaſticos is cenſura temeritatis inuritur, qui ſentit contrà commmunem. Hoc dato ſic argumentor.

In Concilijs Oecumenicis id ſemper eſt habitum, vt certum, & definitũ, quod vota

Digitized by Google

vota maioris partis definierant, ſeù approbauerant, ſed ex data ſuppoſitione id, quod aſſeritur à maiori parte D. D. eſt probabilius, ergo Concilia Oecumenica ſecuta ſunt ſemper ſententiam probabiliorem in definiendis articulis fidei, ergo cùm eadem proportionalis ratio militet de moribus, ſi exempla Conciliorum ſequenda ſunt, Probabilior ſententia eligenda eſt præ probabili in materia morum. Mai. probatur Inductione; nam in principio ſeruauit id Concilium Nicænum I. ſub Sylueſtro Papa, vt patet ex eius regula *6.* quam habes in c. Sanè. c. non debet. c. Epiſcopus diſtinct. *65*. quam regulam tranſcripſit etiam Concilium Chalcedonenſe Act. 1*6*. Si communi omnium conſenſu rationabiliter probato, & ſecundùm Eccleſiaſticam regulam ſtatuto, duo alij, vel tres per contentionem ſuam contradixerint, definitio obtineat plurimorum; & quidem in praxi ità ſeruarunt PP., definierunt enim Filium eſſe conſubſtantialẽ, ſeù ὁμοούσιον

 Patri.

Patri, quamuis 17. epiſcopi cum Ario contradicerent, è quorũ numero quinq; nec ſubſcripſerunt quidem: referunt Auctor hiſt. Concilij Nicæni c.6.& Acta Concil. Epheſ. tom.4. c.8. his verbis. In ſancta, & magna illa 318. *PP*. apud Nicæam congregata Synodo nonnulli reperti ſunt, qui cum pœnas ſibi ab illa irrogatas, vererentur, à ſancta, & magna Synodo deſciuerunt.

In Concilio Chalcedon. Act.4. nolentibus decem Epiſcopis Ægypti ſubſcribere epiſt. miſſæ à Leone *Papa* dixerunt P.P., Eccleſia Dei maior eſt Prouincia Ægypti, & Fide dignior. Reſpondit Lucentius Sedis Apoſtolicæ Vicarius; non poſſunt decem homines præiudicium facere Concilio 600. Epiſcoporum.

Concilium Viennenſe ſub Clem. V. ex duabus ſententijs, quarum vna negabat, affirmabat altera, Paruulis in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes; affirmatiuam tanquam probabiliorem approbauit, eamquè ſequendam Summus Pontifex iuſſit.

Con-

Concilium Lateranenſe III. in Appendice de interpret. Verbi c. 3. aſſeruit; in dubijs, quę occurrunt in cauſis Matrimonialibus, recurrendum eſse ad communem intelligentiam, & ea utendum.

Concilium Trid. Seſſ. 3. ſuperſedendum à proſequẽdis Seſſionibus ſtatuit, ex quo intellexit, multos P.P. accinctos eſſe itineri, nonnullos in via eſſe, vt maiore, & pleniore P.P. conſilio res agerentur, decreta firmarentur; Card. Pall. in hiſt. eius Concilij paſſim, ſed præcipuè lib. 16. n. 50. & ſeqq. lib. 7. n. 31. notat à Præſidentibus collectam fuiſſe ſemper in quocũq; dogmate definiendo, & decreto morum reformandorum ſtabiliendo maiorem partem Votorum, eamquè præualuiſſe.

His addi poſſunt duo Concilia Prouincialia, nimirum, Concilium Toletanum VIII. c. XI. vbi habetur. Cùm verò aut quælibet ſancta Synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quidpiam definitur, ſi pauciores per neſcientiam, aut conſenſionem fortè diſſentiant com-

Digitized by Google

moniti plurimorum ſententiæ cedant.

Concilium Colonienſe celebratum An. Domini 1539. p. 14. c. 17. decreuit, quòd ſi cõmuni omnium conſenſu rationabiliter probato ſecundùm Eccleſiaſticã regulam duo, vel tres animoſitate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum ſententia Sacerdotum. ergò ſi iam Conciliorum Oecumenicorum, & Prouincialium tenenda ſit praxis, communior, & probabilior ſequenda eſt reiecta probabili.

*P*robatur Quartò auctoritate ſacrorum Canonum; & quidem ex ſatis ampla, atquè vberi Iuris canonici meſſe confertos manipulos collegit verſatiſſimus in vtroquè iure D. Proſper Fagnanus in Com. ad c. nè innitaris; ego ſpicas colligam.

Ergò ex Regulis Iuris in ſexto reg. 45. habetur: inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius, vel quod plerumquè fieri conſueuit; & ponitur caſus, quòd ſi filius eſſet exhæredatus à patre, & hæres

ſcriptus

Digitized by Google

ſcriptus dicat filium ingratum, è contrà filius dicat, ſe gratum; in hoc dubio præſumitur pro filio, quia plerumquè filij conſueuerunt eſſe grati propter affectionem ſanguinis, & in dubio præſumitur id, quod eſt veriſimiliùs, ſeù probabiliùs.

c. ſi teſtes 4. q. 2 dicitur, quòd in pari numero teſtium adinuicem ſibi contradicentium, debet quidem Iudex credere, ſed motum animi ſui confirmabit ex argumentis, & teſtimonijs, quæ rei aptiora, & proximiora eſſe compererit, ergò probabilior, & veroſimilior, ſeù vero proximior ſententia ſequenda.

c. nullum c. Iudicantem 30. q. 5, dicitur, nè paſſim dicta abſquè certa probatione quiſquam vnquam credat, vt tamdiù acrio ventiletur, quouſquè ad rei veritatẽ perueniatur; non ergo probabilia ſequi relictis probabilioribus, fas eſt per ſacros canones.

Nequè dicas, ibi ſermonem eſse de iudicijs, & ſententijs ferendis à Iudice,

quia, quem locum tenet Iudex in externo foro, tenet conſcientia, & iudicium morale practicum in foro interno, ſic enim benè notat Laurentius Beyerlinch v. Conſcientia, quòd in Republica benè conſtituta videmus Iudices, Scribas, Notarios, Cauſidicos, Cenſores, Tortores, id in Tribunali Animæ noſtræ præſtat vna Conſcientia, hæc enim eſt Doctor, Cenſor, Pædagogus, Codex, Accuſator, Teſtis, imò Tribunal noſtrum æſtimatur, & vindex.

c. Qui de Pœnit. d. 6. Qui igitur omninò confitetur, Sacerdoti meliori, quàm poteſt, confiteatur; cur ergò ſententiam, meliorem quam poteſt, non ſectabitur?

Iuri Canonico conſonat ius Ciuile per regulam, quam habet Iulianus lib. 87. ff. Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm accipiatur, quæ rei gerendæ aptior eſt. eſt quoquè & alia Iuris Ciuilis regula; Inſpicimus in obſcuris, quod ueriſimilius eſt, aut quod plerunquè fieri ſolet. Paulus lib. 9. ad edictum.

Nec

Nec obſtat,quod dicitur; video meliora,proboquè,ſed deteriora ſequor;nam qui videt meliora,& probat,ſi poſteà deteriora ſequatur, peccat; at non peccaret, ſi ſequeretur meliora, quæ videt, & probat; hìc intendimus ſuadere, quid teneatur quis facere,non quid ex ſua mera libertate faciat.

Probatur Quintò principaliter Concluſio Auctoritate S. S. PP.; & quidem celebris inprimis,& ſatis vulgata eſt auctoritas S.Ioan.Chryſoſtomi hom.24. in Matth. Si veſtimentum empturus, vnum giras negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inueneris,& pacto viliori ab illo comparas,an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere,vbi ſincerè veritas Chriſti venundetur, & vbi corrupta, & meliorem eligere plus quàm veſtimentum?

2. Celebris quoquè eſt Auctoritas D.Bernardi lib.de præcepto c.14. Vt interior oculus,inquit,verè ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in

Digitized by Google

intentione, & in electione veritatem, nam ſi bonum quidem diligas, & verum non diligas, habes quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, & neſcio quemadmodum judicio veritatis vera eſse poſſit cùm falſitate ſimplicitas.

Tertiò eſt auctoritas S. Ambroſij in Pſal. 1. Nunquid non imprudens, & temerarius dicendus eſt is, qui ſpontè ingrederetur ſyluam, quam probabiliùs crederet obſeſſam à latronibus, & graſſatoribus, quiuè vltrò in altum puteum ſe demitteret per funem, quem probabiliùs judicaret, protinus confractum iri, aut qui cum medicamentum tutum haberet, illud tamen ſumeret, quod probabiliùs putaret, eſſe mortiferum. Plura alia huiusmodi exempla habes apud S. Baſilium de Inſtit. Monachorum c. 74. & S. Ioann. Chryſoſt. hom. 6. ſuper epiſt. ad Theſſal. Quartò adducitur auctoritas S. Auguſtini in pluribus ſuæ doctrinæ locis; nam lib. de Baptiſmo c. 3. ait, grauiter peccat, qui certis incerta præponit, & magis in-

cautè

cautè agit, qui maiori periculo ſe expo-nit Hom.40.loquens de Pænit. dilata ad finem vitæ, ait; Duæ res ſunt, aut tibi ignoſcitur, aut non ignoſcitur: quid ho-rum tibi futurum ſit, neſcio; ergò tene certum, & dimitte incertum. lib. 2. de Doct. chriſtiana c.8.docet; In canonicis Scripturis inueniendis, vt eas, quę ab om-nibus Eccleſijs recipiuntur, præponamus ijs, quas quidam non accipiunt, in eis ve-rò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioresquè accipiunt eis, quas pauciores, minorisquè auctoritatis Eccleſiæ tenent.

Pro coronide ſit notabile factum, quod de ſe ipſo D. Auguſtinus recenſet lib.6.Confeſſ.c.1.& eſt. Ergo D.Augu-ſtinus audito Mediolani D.Ambroſio ve-ritatem Catholicæ fidei docente, Acade-micorum more dubitans de omnibus, atquè inter omnia fluctuans Manichæos relinquendos eſſe decreuit, quibus jam nonnullos Philoſophos præferebat, & ſi illis, vtpote in Chriſtum non credenti-

bus,

Digitized by Google

bus, curationem languoris animæ ſuæ committere recuſaret; ſtatuit ergo tandiù eſſe Catechumenum in Eccleſia Dei à parentibus commendata, donec certi aliquid eluceret,quò curſum dirigeret; itaquè cùm matri ad ſe venienti indicaſſet, non ſe quidem Manichæum eſſe, ſed nequè Catholicum chriſtianum, exiliuit illa ingenti lætitia, cùm audiſſet filium veritatem quidem non adeptum, ſed falſitate tamen iam ereptum. Vide Auguſtinum voluiſſe ſibi certum aliquod priùs innoteſcere, antequam ſalutem animæ ſuæ alicui committendam deliberaret; ergò ſicut in credendo D. Auguſtinus certitudinem quæſiuit,ità ad operandum benè, & honeſtè in ordine ad ſalutem certitudo requiritur, & non eſt ſatis opinio vtcunquè probabilis de honeſtate obiecti eligibilis, cùm eadem proportionalis ratio militet de fide,& bonis moribus; dixi, proportionalis ratio, quia vbi in aſſenſu fidei requiritnr certitudo metaphy-

taphyſica, in actu, ſeù opere morali bono ſatis eſt certitudo moralis.

Probatur Sextò principaliter Concluſio Auctoritate Scholaſticorum; & quia communi omnium ſuffragio D. Thomas, & Io. Scotus ſummi Principes, & maiora cœli Theologici luminaria cenſentur, valdè notabile eſt, tanti nominis Doctores in alijs quæſtionibus ferè omnibus omninò diſcordes, & varios, in hac Concluſione aſſerenda conuenire conſenſu adeò vnanimi, vt eorum aſſeclæ, & ſectatores pro hac vna doctrina tanquam pro aris, & focis contrà Recentiores concordiſſimè pugnent: fertur dixiſſe olim ſapientiſſimus S. R. E. Card. Bellarminus horologium Hiſpanicum longè magis regulatum eſſe, & perfectum noſtro Italico; longè veriùs, & certiùs præterlabentis temporis horas, & momenta notare, quia cùm Hiſpani, & Galli cæteris in rebus omnibus diſcordes ſint, & varij, in vſu horologij concordiſſimè conueniunt; quid ni ergo inferamus & nos à pari, ex

Digitized by Google

ri, ex hac ſumma conſenſione vtriuſquè D D., vtriuſquè ſcholæ toto chriſtiano orbe celeberrimæ in aſſerenda probabiliori, poſitam noſtram concluſionem attingere, quam intendimus, veritatem, vel parùm ab illa diſtare? Petitur ergò auctoritas D. Thomæ, & ſenſus ex quodlib. 9. art. 13. quodlib. 3. art. 10. & ex 1. 2 q. 76. art. 2. Sed celebris, & omnium clariſſimus eſt locus ex quodlib. 8. art. 13. vbi quærens S. Doctor, An liceat habere plures præbendas. Reſpondet, dicendum, quòd aliquis duobus modis obligatur ad peccatum, vno modo faciendo contrà legem, vt cùm aliquis fornicatur, alio modo faciendo contrà conſcientiam, etiamſi non ſit contrà legẽ, vt ſi conſcientia dictet alicui, quòd leuare feſtucam è terra ſit peccatum mortale, ex conſcientia autem obligatur quis ad peccatum, ſiuè habeat certã fidem de contrario eius, quod agit, *ſiuè etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione*; illud autem, quod agitur contrà legem, ſemper eſt malum, nec excuſa-

cuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam, & ſimiliter quod eſt contrà conſcientiam, eſt malum, quàmuis non ſit contrà legem, quod autem non eſt contrà conſcientiam, nec contrà legem, non poteſt eſse peccatum.

Dicendum eſt ergo, quòd quando ſunt duæ opiniones de eodem, oportet alteram veram eſse, aut alteram falſam; aut ergo ille, qui facit contrà opiniones magiſtrorum, vt potè habendo plures præbendas, facit contrà veram opinionem, & ſic cùm faciat contrà legem Dei, non excuſatur à peccato, quamuis non faciat contrà conſcientiam, ſic enim contrà legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ità quod verè liceat habere plures præbendas, & tunc diſtinguendum eſt, quia, aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterùm peccat contrà conſcientiam faciens, quàmuis non contrà legem, aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in

quan-

quandam dubitationem inducitur ex cõ-trarietate opinionum, & ſic manens cum *tali dubitatione plures Præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, vtpotè magis amans temporale beneficium, quàm propriam ſalutem*, aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & ſic nec committit ſe diſcrimini, nec peccat.

Ex quibus verbis diuerſo charactere cuſis, patet primò manifeſtè, ſecundùm mentẽ D. Thomæ, nõ excuſari à peccato, qui agit cũ aliqua dubitatione, quòd agat contrà legem Dei. 2. dubitationem coincidere cum formidine, quæ eſt prædicatum quidditatiuum, ſeù proprium opinionis. tandem verba hæc D. Thomæ eſſe adeò euidentia pro aſſerenda probabiliori, vt pertinacem, qui id negauerit, vocet D. Proſper Fagnanus in Opuſc. fol. 322.

Senſus, & verba Io. Scoti habentur in fine q. 2. Prologi ſent. In 4. d. 3. q. 2. & diſt. 17. q. 1. & ſunt. Vbi eſt via facilior

ad

ad gratiam recuperandam, teneatur quilibet ad illam viam, ità quod non omiſſa illa attentet aliam difficiliorem, & inferiorem, quia tunc ſe exponeret periculo ſalutis: eandem doctrinam habet quodlib. 18. lit. E. in collat. 12. poſt princip.

Cum D. Thoma, & Ioan. Scoto ſentit D. Bonauentura, cuius verba notabilia habes in opuſc. de proceſſ. Relig. c. 3. & ſunt. Dubia interpretatio præcepti eſt periculoſa, ſicut pons ſemiputridus, aquæ præcipitis & profundæ, de quo dubium eſt, an ſub tranſeunte corruat, aut ſubſiſtat, velut ſi is, qui pro Chriſto maiora certamina ſubire decreuit, & omnia reliquit in ſæculo, ſe periculo committit pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro paruo commodo in incerta opinione ſua, vel alterius, vt ſi Deus approbet illam opinionem euadat ſinè lucro meriti; ſi autem reprobet eam, damnetur maximè cùm tales opiniones quandoquè periculoſiores ſint, quàm apertæ tranſgreſſiones, quia vbi ſcit homo, ſe delinquere, indè

indè facilè corrigitur, vbi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit ſibi licere, indè nec in morte purè conuertitur propter falſam ſpem, quòd fortè ſibi licuerit, vel minùs in eo peccauerit, baculo arundineo, & confracto innitens. Voluntas bona, & plana; via regia, & ſecura debet incedere, & relictis dubietatum diuerticulis, quaſi ſuſpectis latronum ſemitis, apertos, & certos iuſtorum calles ambulare, nè velut pœnitens boni inchoati quærat diuerticula declinandi à via perfectionis, in qua ſe nouerat ambulare. Quid enim eſt, vndè omnes in damnationem incidimus, niſi talis dubia interpretatio præcepti Dei de ligno vetito? vbi callidus ſerpens perſuaſit mulieri nõ ità ſtrictè, & ſimpliciter intelligendum illud præceptum eſſe. Non refero aliorum D.D. verba, quæ adducam oportuniùs infrà in Reſp. ad X. argumentum notando loca, quæ poterit accuratus Lector adire, & ponderare.

*P*robatur ſeptimò principaliter Conclusio

Digitized by Google

cluſio duplici ratione à priori; quarum prima eſt; quia actiones humanæ morales ſunt bonæ, vel malæ, in quantum habent finem, ſeù obiectum bonum, vel malum, à quo ſpecificantur, vt eſt in confeſſo, & docuit D. Aug. lib. 2. c. 13. de moribus Eccleſiæ, & Manichæorum, ſequitur D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 3. illud autem obiectum eſt bonum, vel malum, quod eſt conforme diuinæ voluntati, & diuinæ legi æternæ manifeſtatæ nobis per ſcripturas, vel per practicum dictamen conſcientiæ, hæc eſt enim ſecunda regula interna, & proxima humanarum actionum moralium deriuata à lege illa diuina, & æterna, vt cum S. Thoma 1. 2. q. 19. art. 3. docent Theologi omnes ad vnum, ideòquè receſſum ab iſta regula eſſe peccatum mortale, docent Moraliſtæ cum Tol. in Summa lib. 8. c. 1. n. 1. At practicum dictamen Conſcientiæ non poteſt non dictare, & dictando præcipere, præeligendam eſſe ſententiam probabiliorem de honeſtate obiecti relicta probabili, ergò.

Minor, in qua eſt difficultas, probatur, quia dictamen illud practicum cùm ſit de genere entis moralis, & agibilis non poteſt non eſſe regulatum, & directum à prudentia, hæc enim eſt recta ratio agibilium ex Ariſt.6.Eth.c.5. At prudentia non poteſt non dictare, eligendam eſſe probabiliorem relicta probabili; ergò. Min.probatur, quia ex Ariſt. 1. mag.mor. c. 33. Prudentiæ eſt, optima expetere, ſemper ſibi proponere,& actitare; at optima eſt probabilioritas comparata cum probabilitate, ergò. Secundò quia Prudentia eſt habitus cum vera ratione actiuus circà ea,quæ & bona,& mala homini ſunt ex Ariſt.6.Eth.c.5. & ex 5.Eth.Prudentia eſt vnus ex quinquè habitibus inclinantibus Intellectum ad verum, non quidem ad verum ſimpliciter, & præcisũ ab omni circunſtantia, ſed ad verum ſecundùm quid,ideſt, ad verum, quod poteſt haberi hìc, & nunc, in his, vel illis circunſtantijs; verum autem, quod poteſt haberi ab Intellectu, in quo ſimul re-

luce-

Digitized by Google

luceant opinio probabilis, & probabilior de honeſtate obiecti, eſt veroſimilius, ſeù probabilius, ergo ad hoc inclinat Prudentia intellectum, atquè adeò illud dictamen practicum à Prudentia regulatum non poteſt non dictare præeligendam eſſe probabiliorem relicta probabili.

Solet hæc doctrina claritatis gratia illuſtrari varijs exemplis, quia in primis nullus Legislator circunſpectus, & prudens conderet legem, quę juberet, ſequēdam eſſe probabilem, relicta probabiliori opinione, & certa moraliter; neq; Dux exercitus juberet iniri certamen cum hoſtibus oblata ſpe probabili victoriæ conſequendæ ſpreta, & poſthabita probabiliori, & certa moraliter; nec vllus ſanè cordatus, & prouidus in aliquo ſuo negotio, in quo iudicaret A eſſe melius B. eligeret B. ſpreta A. exemplum eſt Emin. Card. Pallau. de Actib. human. diſp. 9. q. 4. art. 4. n. 1.

Demum videtur omninò dictata à lu-

mine ipſo naturali, quo ſolo illuſtratus Ariſtoteles, 1. de Gen. t. 9. dixit, quod eſt melius, deſiderat natura ſemper. lib. de Gen. Anim. c. 4. t. 10. Natura rem quamcunquè facit, aut quia neceſſaria eſt, aut quia melius illa eſt. & lib. de Anim. greſſu t. 10. Ad id reſpicit natura ſemper, quod eſt melius, & potius.

Secunda ratio à priori, & fundamentalis eſt, quia ex communi D. D. ſententia, operans cum conſcientia dubia non excuſatur à peccato, quia nimirum, qui ſic operatur, exponit ſe proximo periculo peccandi, qui autem amat periculum, in illo peribit. Eccleſiaſtis 3. ideſt, peccabit mortaliter; ſed qui operaretur, & ageret relucente in eius intellectu opinione probabili, & probabiliori, ageret cum conſcientia dubia, ergò non excuſaretur à peccato. Minor, in qua eſt difficultas, probatur, quia hic ageret cum cõſcientia formidoloſa; ergò & dubia. Ant. probatur, quia cùm opinione illa probabili eſt neceſſariò connexa non ſolùm

for-

formido radicalis, ſeù ſpeculatiua, quæ eſt eius eſſentiale prædicatum, ſed etiam formido actualis, & practica, quæ licet ſit accidẽs reſpectu opinionis ſeorſim ſumptæ, eſt tamen eſſentialis reſpectu huius concreti, ideſt, opinionis probabilis, vt concurrẽtis cum probabiliori; relucent enim in intellectu operãtis motiua vtriuſq; opinionis; ergò ſi mouetur à motiuis opinionis probabilis, ità vt illis inhærens exeat in operationem, non poterit non habere formidinem de parte oppoſita, ad quàm trahitur à motiuis valentioribus alterius opinionis; neque enim motiua illa valentiora poſſunt eſſe in Intellectu mortuo quodam modo, & Intellectum non mouere, eſt enim Intellectus potentia neceſſaria, quæ ab obiecto præſenti non poteſt non moueri, ſicut oculus ab obiecto præſenti colorato non poteſt non moueri. Conſequentia huius argumenti eſt non minùs clara, quàm certa; coincidunt enim in caſu noſtro conſcientia formidoloſa, & dubia, vt fusè dixi art.
 1. in
Digitized by Google

1.in Reſp.ad 6.& ex auctoritate D.Thomæ opuſc.6. art. 13. in Prob. ſexta Concluſ. & patet ex Ariſt.9.mor. Nicomach. vbi cùm retuliſſet,aliquos opinari magis eſſe diligendum ſeipſum,quàm amicum, alios verò magis eſſe diligendos amicos, quàm ſe ipſum,ait; Cúm vtriquè probabilitatem aſſerant, non iniuria in dubium venit,vtros ſequi magis debeamus ; ergò ad opinionem probabilem ſequitur dubium, ſed ſequitur formido ex eodem Ariſt. vbi ſuprà art. illo primo, ergò idem eſt dubium , & formido in caſu noſtro. Hoc dixerim notanter,quia Aduerſ.magnum piaculum putant, confundere dubium cum probabilitate, ſeù formidine , & tamen reuerà idem omninò eſſe dubium,& probabile,ſeù dubium,& formidinem jure non poteſt à quopiam negari : Deindè cùm ex dictis ſuprà Prudentia dictet, conſiderandas eſſe circunſtantias in aliquo negotio agendo,ſeù operatione elicienda , non poſſet in caſu noſtro non dictare, opinionem probabilem ſtare

pro

pro noſtra libertate, & commodo, ergò non poteſt non dictare aliquem timorem juſtum, & juſtam formidinem, An eius ſequela ſit licita, honeſta, & placens Deo; nam vt optimè monet Caietanus in ſum. V. *opinione uti*. Sæpè erratur ex nimio affectu ad noſtra, & minore quàm opus fuerit, examine, reſolutione, ac judicio; dùm probabilia accipimus vt demonſtrata; erratur quoquè circà opinionē, quia ſæpè opinio eſt voluntaria, & ideò illicita, quia non ex eo, quòd placet magis, ſed ex eo, quòd rationabilior eſt; non ex voluntate, ſed ex ratione amplectenda eſt opinio. Adſtipulatur huic doctrinæ D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. docens. Vbi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debet vnuſquiſquè eum, vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt, alioquin iniuriatur ei, & contemnit ipſum; nullus autem debet alium contemnere, aut nocumentum quodcunquè inferre abſquè cauſa cogente; At verò circà ſeipſum

Digitized by Google

homo debet dubia interpretari in peiorem partem ſecundùm illud Iob. 9. Verebar omnia opera mea, eo quòd cum debemus noſtris malis adhibere remedium, expedit ad hoc, vt ſecuriùs remedium apponatur, vt ſupponatur id, quod eſt deterius.

Octauò principaliter probatur Concluſio à pari. Non licet vti opinione minùs probabili miniſtro Sacramentorum, Medico, Chirurgo, Iudici, & moribundo pro expiatione conſcientiæ, vt eſt communis ſententia, quam ſequuntur etiam plures ex Aduerſarijs, ergò non licet vniuerſaliter vti quauis opinione probababili in quauis materia, quia eadem militat ratio, ideò enim miniſtro Sacramentorum non licet vti opinione probabili relicta probabiliori, & moraliter certa, quia ſi adhiberet materiam ad conficiendum Sacramentùm probabiliter ſufficientem ſtante probabiliori in oppoſitum, exponeret ſe periculo inualiditatis Sacramenti: Medicus, & Chirurgus pariter

riter ſe exponerent periculo inferendi notabile damnum infirmo. Iudex ſe exponeret periculo inferendi notabile dãnum Reo. Deniquè moribundus, ſi ſumeret Sacramentum pœnitentiæ inhærendo probabili, quòd, ſcilicèt, poſſit confiteri cum ſola attritione cognita, vt tali, exponeret ſe periculo damnationis æternæ, ſed in qualibet alia materia qui ſequitur probabilem relicta probabiliori, exponit ſe periculo peccati, quod eſt mors animæ, ergò. Et ad hanc rem valdè notabilia ſunt verba Io. Gerſonis Cancell. Pariſienſ. antiquiſſimi Theologi in Reg. Mor. litt. B. verſus medium. exponere ſe periculo mortalis, eſt peccatum mortale, vel ſic agere incertum, & dimittere certum in materia morali, eſt peccatum mortale, ſi tale incertum ſit, quòd ſit peccatum mortale, & non per coniecturas, aut ex ſuſpitione trepida, & ſcrupuloſa præueniente ex nimio timore cadendi in via Dei, ſed intelligitur, dum tale eſt vehementer, & probabiliter in-

cer-

Digitized by Google

certum æquè ſicut oppoſitum, vel magis, tunc enim illud, quod agitur, non carebit mortali culpa.

Nequè dicas; aliud eſſe, loqui de materia probabili, & certa; aliud verò de opinione probabili, & certa, licèt enim miniſter Sacramentorum, Medicus, & Chirurgus nequeant vti materia probabili, quando ſuppetit certa ob rationes benè adductas in argumento, poſſunt tamen vti opinione probabili relicta certa, & probabiliori, ſi talis opinio probabilis daretur, quæ ſuaderet, adhibendam eſſe probabilem.

Contrà enim eſt, quia non poteſt quis vti materia probabili relicta certa, & probabiliori, ergò nequè poteſt vti opinione probabili, relicta probabiliori, & certa, quia par eſt ratio, & quidem ſi daretur opinio probabilis, quòd poſſit medicus, chirurgus, & miniſter Sacramentorum vti materia probabili, relicta certa, & probabiliori, adhùc hi ſe exponerent periculo inferendi notabile damnum infirmo,

& pe-

& periculo inualiditatis Sacramenti.

Nonò principaliter probatur Concluſio argumento ad Hominem, ſeù ex his, quæ Aduerſarij in ſuis libris vltrò conceſſerunt.

Primò igitur Probabiliſtæ aliquando contrà Lutherum ſic argumentati ſunt ſatis validè, & efficaciter.

Doctrina Lutheri eſt noua,
ergò non eſt Apoſtolica.

Vide Caramuelis Theol. fundam. impreſ. Francf. n. 120. ſic arguo. Doctrina de vſu opinionis probabilis relicta probabiliori, eſt noua, ergò non eſt Apoſtolica.

Antecedens vltrò admittitur ab Aduerſ. in Theol. Reg. diſp. 6. art. 3. impreſſ. Ven. Anno Domini 1651. & in Fund. n. 194. 204. impreſſa Francof. An. 1652. Conſequentia eſt fortiſſima, ergò.

Sed rurſus illud Ant. fuit negatum ab Aduerſ. vt patet ex Apolog. epiſt. 4. vbi repetitur, & deducitur vſus eius opinionis ab Angelis, ab Adam, & Eua. At tunc primò aſſerta eſt antiquitas huius ſententiæ,

tiæ, cùm viderent ſe nouitatis opinionum inſimulari ab Antagoniſtis ſuis, Apologema enim eſt impreſſum Ann. Domini 1656. annis videlicèt, quatuor, poſt alias impreſsiones, in quibus ea nouitas aſſerebatur, ergò ſi ſincerè, & ingenuè loqui velint Aduerſ. fateantur neceſsè eſt, nouitatem eius ſententiæ, & doctrinæ.

Secundò Probabiliſtæ docentes, moribundum poſse ſequi opinionem probabilem, quæ tenet, ad ſalutem non requiri actum contritionis, ſed ſufficere actum attritionis, ſic argumentantur contrà Suarez in Theol. fundam. n. 307.

Suarius eſt primus Auctor opinionis contrariæ, ergò illa non eſt vera, nam impoſsibile eſt annis integris 1600. *rem tàm neceſſariam, ſi eſſet vera, fuiſſe in Eccleſia Romana ignoratã.* ſic arguo. Probabiliſtæ, & iuniores Theologi centum abhinc annis auctores ſunt doctrinæ de vſu opinionis vtcunquè probabilis, ergò illa non eſt vera; nàm impoſſibile eſt annis integris 1600. vel 1550. rem tàm neceſsariam,

ſi eſſet

ſi eſſet vera, fuiſſe ignoratam ab Eccleſia Romana.

Tertiò Probabiliſtæ iterùm contrà Lutheranos ſic argumentantur; *Religio vera debet eſſe certa, conſtans, vniformis; ſed Lutherana, Caluiniana &c. nihil certi habent, ſunt difformes, inconſtantesquè, & ſola Romana ſibi conſtat, ergo Lutherana, Caluiniana &c. non eſt doctrina vera, ſed ſola Romana.* Theol. Fund. n. 133. impreſſ. Francf. arguo ſic. Doctrina, ſeù ſententia vera debet eſſe certa, conſtans, vniformis, ſed ſententia de vſu probabilis non eſt certa, quia ſatis eſt illi ſua probabilitas; non eſt conſtans, & vniformis, vt patet ex eorum diſſidijs mox enumerandis, ergò ſententia de vſu opinionis probabilis non eſt vera, ſed ſola ſententia de vſu probabilioris eſt vera, quia eſt certa moraliter, conſtans, & vniformis; mira enim conſenſione eius Patroni, & aſſertores, vno ore glorificant Deum, & Patrem.

Diſſidia Probabiliſtarum refert, & fuſè enumerat Vinc. Baron. tom. 1. ſuæ

Manu-

Manuduct. Mor. diſp. 1. fol. 22. & ſunt.

Aliqui ſunt omninò liberrimi nullam prorſus admittentes exceptionem in ſequenda minùs probabili in quauis materia; ità ſentiunt Paſqualigus, Tamburinus, & Spinula. Alij excipiunt in materia Sacramentorum, ità Suarez, & Filliuccius. Spinula exigit, quòd quis debeat eſse moraliter certus, opinionem eſſe probabilem, vt poſſit illam ſequi. Paſqualigus docet, ſatis eſſe opinari probabiliter, quòd opinio ſit probabilis. Sanchez ait; conſilium eſſe, ſequi probabiliorem. Sanctius verò nec præceptum, nec conſilium eſſe. Paſqualigus docet, præceptum eſſe, ſequi minùs probabilē, ſi aliquod graue damnum immineat; at hoc negant Sanchez, & Villalobos. Regulam de ſequenda minùs probabili, *Sā*chez dicit, eſſe ſolùm probabilem, Paſqualigus certiſſimam. In morte ſequendam eſſe tutiorem relicta minùs probabili docet Sanchez in Summa, & negat Sancius in ſelectis; alia his ſimilia libens omit-

omitto, quia nec verba adducit, nec loca Vinc. citat; adducam ego hìc, quæ habet magis diſtinctè, & accuratè collegit Auſonius Noctinot. Reſol. Antonini Dianæ compilator in ſua Sum. V. opinio, & quia vnus eſt ex Aduerſ. erit procul dubio teſtis irrefragabilis, & omni exceptione maior. Sunt autem. Sanchez in ſum. tom. 1. lib. 1. c. 9. n 7. Filluc. tom. 2. tract. 21. c. 4. n. 134. Merolla tom. 1. d. 3. c. 4. dub. 1. docent, Vnius Doctoris pij, ac docti ſententiam ſufficere ad conſtituendam opinionem probabilem, maximè ſi adducat aliquam rationem probabilem, & eius opinio non ſit contrà communem; at hæc ſententia diſplicet Porellio V. opinio eligenda, num. 4. put[illegible]ci, admittendam ſolùm eſſe in quæſt. nunquam anteà ventilata, non autem in ventilata à multis D. D. in contrarium ſentientibus. At Villalobos tom. 1. tract. 51. diff. 7. n. 3. illam admittit ſolùm in caſu, quo ſuſtentat valorem matrimonij. Beroio verò in c. 1. n. 18. de Conſtit. admittit in caſu,

quo

Digitized by Google

quo ſuſtentat quamlibet cauſam piam. Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 7. docet, quòd non omnis opinio ſpeculatiuè probabilis, eſt tuta in praxi, contrarium tenet Sancius in Selectis diſp. 54. n. 11. & diſp. 64. n. 63. quia probabilitas practica eſt effectus probabilitatis ſpeculatiuæ, quòd enim quis iuſtè, vel iniuſtè operetur, oritur ex eo, quòd ſpeculatiuè iudicauerit poſſe agi licitè, vel illicitè.

Sancius pariter pract. diſp. diſp. 44. n. 58. exiſtimat, licere Regi habenti ius probabile ad aliquod regnum ab alio Rege probabili etiam iure poſſeſſum, mouere bellum; contrà ſentit Villalobos p. 2. tract. 1. diff. 17. n. 6. Vaſq. in 1. 2. tom. 1. u. 64. c. 3. Azorius tom. 1. lib. 2. c. 17. q. 11. Sancius pract. diſp. diſp. 44. n. 36. docent, in defectu medicamenti certi poſſe medicum adhibere medicamentum probabile, ſtante opinione probabiliori, quòd tale medicamentum ſit nociturum, etiam quando ſalus ægri non eſt deſperata. At id negant abſolutè Vaſq. in 1. 2. tom. 1.

diſp.

diſp.46.c. 7. & Suarez apud Portellium V.opinio eligenda num.10.Limitat Malderus in 1.2.q.19.art.5.diſp.86.§.quando æger ſit aliàs moriturus: Confeſſarium teneri ad ſequendam opinionem pœnitentis, communis eſt ſententia Probabiliſtarum, ſed Vaſq.in 1.2.tom. 2.diſp. 62.c.6.n. 40, & alij docent, Confeſſarium non proprium peccare venialiter, ſi non abſoluat pœnitentem ſequendo eius opinionem. At Sancius in ſelect. diſp.33. n.54.docet, peccare mortaliter, ſi pœnitens ſit confeſſus mortalia. Antonin. Diana p.2.tract.13.reſol.11. docet, eam doctrinam valere etiam, quando opinio pœnitentis videretur falſa. at Thomas Sanchez in Decal.tom.1.lib.1.c.9. n. 27. 29. & alij communiter recipiunt hanc doctrinam, ſi opinio pœnitentis ſit minùs probabilis, & minùs tuta. Salas 1.2.tract. 8. diſp.vn.ſect.8.n.76. docet, ſtante veritate opinionum inter ſubditum, & ſuperiorem, ſubditum teneri ad obediendum ſuperiori, at Sancius in ſelect. diſp. 33.

Digitized by Google

Palaus tom. 1. diſp. 2. p. 6. n. 5. negat, ſubditum habentem pro ſe opinionem probabilem debere obedire ſuperiori.

4. Probabiliſtæ petunt à ſuis Antagoniſtis, ſententiam de vſu probabilis impugnari, *argumentis apodicticis, & demonſtratiuis, non verò probabilibus, quia ſententia probabilis haud ſufficienter impugnatur probabilibus argumentis, vtpotè inferioris ordinis*. Franciſcus Verde in princ. ſui Opuſc. pro Caramuele. Sic arguo. Probabiliſtæ impugnant Probabilioritatem argumentis probabilibus, non apodicticis, & demonſtratiuis; at argumenta probabilia ſunt longè inferioris ordinis ad probabilioritatem, quàm ſint ad probabilitatem, ergò. Maior probatur, quia nomine argumenti apodictici, & demonſtratiui intelligunt non quidem demonſtrationẽ Ariſtotelicam, quam rectè dicunt, in mundo non dari, tot enim Ariſtoteles requirit conditiones ad conficiendam demonſtrationem, vt impoſſibile moraliter ſit, eas omnes concurrere in vna aliqua

demon-

Digitized by Google

demonſtratione, quare nomine argumenti apodictici, & demonſtratiui intelligunt illud, cuius præmiſſæ non poſſunt negari ab vllo mortali, vt in epiſt. 4. ſui Apolog. notat Caramuel.

Probatur Minor, nam quæ, & quot argumenta explicato modo apodictica, & demonſtratiua adducunt? nulla omninò, omninò nulla; nam omnia eorum argumenta, apodictica vocata, & demonſtratiua, euidenter ſoluuntur, negatis eorum præmiſſis, à D. D. Merenda, Fagnano, Vincentio Baron, Mercoro, Io. Baptiſta Gonet, Antonio Marinario, & alijs Probabilioribus; & quidem rectè, rationabiliter, quia probabiliter, nam vel vnus Auctor, vel ad ſummum quatuor ſunt ſatis ad reddendam aliquam aſſertionem affirmatiuam, vel negatiuam probabilem, atquè adeò rectam, & rationabilem iuxtà eorum principia, & doctrinam, vt patet ex Theol. fundam. n. 148. & ex Regulari diſp. 6. n. 53. ex Opuſc. Franciſci Verde in Neapolitano Gymnaſio Sacrorum Ca-

Digitized by Google

nonum Interprete q. 9. §. 2. n. 479, & ex alijs apud ipſos.

Imò Franciſcus Verde ſelectas diſputationes Anticaramuelis, ideſt, Ludouici Borgiæ Epiſc. Placentini impugnaturus, nullam adducit propoſitionem impugnatiuam, pro qua non afferat plures Auctores pro, & contrà, ergo nullum affert argumentum apodicticum, & demonſtratiuum, ideſt, argumentum, cuius præmiſſę non poſſint negari ab Antagoniſtis ſuis, quos ipſemet adducit, ſignans text. loca, & eorum verba formalia; res eſt facti, quare legentibus patebit, quod dico, longè clariùs luce meridiana. Sic ergo colligo argumentum contrà Franciſcum Verde.

Argumentari apodicticè, & demonſtratiuè, eſt afferre ſyllogiſmum, cuius prę-miſſæ non poſſint negari ab vllo mortali, ſed Franciſcus Verde nullum conficit argumentum, ſeù ſyllogiſmum, cuius præmiſſæ non poſſint negari à D.D. quos ipſemet adducit coutrà ſuas aſſertiones,

ergò

ergò Franciſcus Verde nullum vnquam attulit, nec poteſt afferre argumentum apodicticum, & demonſtratiuum. Syllogyſmus eſt in Darij modo primæ figuræ, & vtraquè præmiſſa eſt ab ipſo conceſſa, & Typis conſignata, ergo. An hoc argumentum ſit apodicticum, Tu, mi Lector, judica.

5. Probabiliſtæ nonnulli defendentes, dari paruitatem materiæ in re venerea, opponentibus auctoritatẽ Antonini Dianæ contrarium ſentientis p.3. Reſol. trac. 5. Reſol. 1. Reſpondent, *Dianam ſexcenties admittere quantitatem leuem in materia venerea, ſemel, aut iterùm negare, & ideò abſolutè, & ſimpliciter eam paruitatem admiſiſſe, non negaſſe Dianam.* Vide Theol. Reg. n. 1053. & fundam. n. 1219. tùm, vt propriam ſententiam ſeruent à nota nimiæ laxitatis, obijciunt Probabilioribus. Antiquos D.D. tradidiſſe plures ſententias laxas recenſitas à Caramuele in Apol. epiſt. 4. & reductas ad n. 7. vel 8. & eas ſuiſſe reſtrictas à Probabiliſtis, & Iu-

nioribus; cùr illis reſpondere non poſſumus, Probabiliſtas ſimpliciter, & abſolutè laxaſſe conſcientias, cùm certum ſit, ſemel, aut bis reſtrinxiſſe conſcientias, pluries, & ſæpius laxaſſe? quare ſic colligo argumentum in forma,

Diana, quia ſexcenties admiſit paruitatem materiæ in re venerea, ſemel, aut iterum negauit, dicitur ſimpliciter, & abſolutè eam paruitatem admiſiſſe; ſed Probabiliſtæ ſexcenties, aut pluries laxarunt conſcientias, ſemel, aut iterùm reſtrinxerunt, ergò dicendi ſunt ſimpliciter, & abſolutè laxaſſe conſcientias, & non reſtrinxiſſe.

6. Probabiliſtæ nonnulli, vt patet ex Theol.fund.n.88.apertè docent, *è duabus opinionibus, quæ ſecundum ſe conſideratæ iudicentur probabiles, illa præeligi debet, quæ aperit viam, qua clariùs, & expeditiùs Controuerſias alias intelligamus.* Cur ergò è duabus opinionibus vna probabili, altera probabiliori, non debet præeligi probabilior, quę clariùs, & probabiliùs aperit

t viam ad ſalutem? Hanc conſequen-
am non debent negare Probabiliſtæ,
iſi velint loqui inconſequenter: vel
ſtendant Priuilegium, quo fulti poſſint
nconſequenter loqui; nam ſimile Pri-
uilegium exigunt ipſi à Diana, & alijs,
quos redarguunt inconſequentiæ diſcur-
ſus. Vide Theol. fundam. n. 1087.

Pariter docent nonnulli; *in ijs, quæ ſunt neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem, Eccleſiam errare non poſſe, & id eſſe neceſſariò concedendum ad conuincendos hæreticos, ergò in ijs non poteſt Eccleſia ſequi opinionem probabilem, aliàs poſset errare.* Tùm ſic; ergò quicunquè ſequitur opinionem probabilem, poteſt errare, ergò in ijs, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, neceſſitate medij, nemo debet ſequi opinionem probabilem; at quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti, ergò ſimpliciter quando ſunt duæ opiniones, vna pro libertate, altera pro præcepto, illa probabilis, hæc probabilior, hæc eſt ſequenda, altera reiecta.

Ità debent dialecticari Probabiliſtæ, cùm ſe dialecticos jactent, & Antagoniſtas ſuos tanquam huius artis imperitos flocci pendant.

7. Probabiliſtæ nonnulli, vt videre eſt in Theol. fund. edit. Rom. n. 496. mouent hanc quæſt. An liceat, ſe exponere periculo probabili peccati, tùm relatis tribus ſententijs; laxa, quæ affirmatiua eſt; ſeuera, quæ eſt negatiua, & media, quæ procedens cum diſtinctione docet, ſi aliqua ſit neceſſitas, vel vtilitas, licere, ſe exponere periculo probabilis peccati; ſecùs, ſi nulla ſit neceſſitas, aut vtilitas. Probabiliſtæ duabus ſententijs refutatis, ſeueram eſſe ſequendam defendunt; tùm ad caſum practicum ibi propoſitum; An liceat ire ad locum, vbi adſit probabile periculum peccandi, reſpondent, diſtinguendo; ſi quis ſinè formidine, & tanquam rem certam poſſit dicere, *non peccabo*, concedunt, licitum eſſe ad eum locum ire; ſecùs, ſi cum formidine, & tanquam rem probabilẽ diceret, *non peccabo*, hoc

hoc dato, ſic arguo; Qui ſequitur opinionem probabilem, non poteſt dicere ſinè formidine, & tanquam rem certam, *non peccabo*, ergò non licet ſequi opinionem probabilem, opinio enim probabilis ex ſui natura includit formidinem, nèdum radicalem, vt loquuntur Logici, ſed etiam actualem, vt ſuprà dictum eſt. Vidit hoc argumentum ex Probabiliſtis quiſpiam, & reſpondet, (vt videre eſt in Theol. fundam. n. 109.) in ſua, & Probabiliſtarũ ſententia,ità licere ſequi opinionem probabilem ſpeculatiuè, vt tamen in praxi habeatur practicum judicium certum, & ideò ſi habeatur judicium ſpeculatiuum probabile, quòd adſit periculum peccandi in aliquo loco, & judiciũ certum practicum, quòd tale periculum non adſit, licebit ire ad eum locum.

Sed contrà eſt, quia ijdem Probabiliſtæ, vt videre eſt in Theol. fund. n. 1569. bonam, aiunt, eſſe hanc conſequentiam; hæc opinio eſt tuta ſpeculatiuè, ergò & practicè. Cùr ergo nõ erit bona hæc alia?

Hæc

Hæc opinio eſt ſpeculatiuè probabilis, non certa, ergò practicè eſt probabilis, non certa? ſeù quod idem eſt, hoc judicium ſpeculatiuum eſt probabile, non certum, ergò & iudicium practicum eſt probabile, non certum? & ratio reddi poteſt, quia, vt etiam ſuprà dictum eſt; judicium ſpeculatiuum, & practicum ex Ariſt. & S. Thoma non differunt, vt patet ex p. p. q. 79. art. 11. aut ſaltem judicium practicum à ſpeculatiuo menſuratur, & regulatur; non ergò poteſt judicium ſpeculatiuum eſſe probabile, & judicium practicum de eadem re, ſeù obiecto eſſe certum; vel ſi judicium practicum eſt certum, etiam ſpeculatiuum debet eſſe certum; vel ſi vnum eſt probabile, etiam alterum debet eſſe probabile. Hinc Corduba in ſuo Quæſtionario lib. 3. q. 5. ſtatuit hanc Concluſionem: Quòd qui dubitat ſpeculatiuè, tenetur & practicè dubitare, niſi ex aliqua cauſa excuſetur, id non practicè credendo; idquè elici ex c. Inquiſitioni de ſent. excom. vbi habetur, quòd

quòd mulier probabiliter dubitans de validitate matrimonij, quod eſt dubium ſpeculatiuum, non poteſt petere debitũ, quamuis poſſit, & debeat reddere exigenti.

8. Quia, docent Probabiliſtæ, vt videre eſt apud Franciſcum Verde in ſuo Opuſc. impreſſo Lugduni An. 1662. n. 485. ea, quæ ordinantur ad ſalutem animæ non ſunt meliora ex clariori, & probabiliori cognitione, ſed ex eo, quia in ſe ſunt talia; hinc quando habeatur certum, negligitur incertum, & probabile, quia proximus habet certum jus, vt ei ſuccurratur, cui juri correſpondet certum remedium, & ideò Medicus non poteſt vti probabilibus, omiſſis certis medicinis (& paucis interiectis, quæ mox referam,) ſimili modo miniſter Sacramentorum non poteſt vti probabili, quando habet certam materiam, quia ſinè cauſa exponeret Sacramentum periculo inualiditatis; hucuſquè Probabiliſtæ; Sic arguo, & ſubſumo; Sed quilibet habet certum ius,

vt

vt ſuæ animæ ipſemet ſuccurrat, quàm habeat certum jus, vt à medico eius corpori ſuccurratur, & à miniſtro Sacramentorum eius animæ, ergò ſequi debet probabiliorem, relicta probabili, quia probabilior eſt certa reſpectu probabilis, vt dicam ad 1. arg.

Dices. Poteſt medicus vti probabilibus omiſſis probabilioribus, quia poteſt eſſe, quòd medicina probabilis ſit vera, & non probabilior.

Reſp. Quòd licèt reipſa, & ex parte obiecti res ità ſe poſſit habere, vt ponit argumentum; cui tamen apparebit magis vera probabilis, quàm probabilior? ſeù quis apprehendat eſſe magis veram probabilem, & probabiliorem minùs veram, cùm probabilior ſit veriſimilior? mouemur autem ad operandum non à vero obiectiuo, ſed à vero apprehenſo, & prout apparet.

Decimò tandem principaliter probatur Concluſio à poſteriori, & ex abſurdis,

Digitized by Google

dis, quę ex oppoſita doctrina, tanquam ex infecta radice videntur pullulare; & quidem omiſſis ijs, quæ D. Proſper Fagnanus in ſuis eruditiſſimis Commentarijs, & Io. Baptiſta Gonet in ſua Diſſertatione Theologica egregiè intulerunt, (volo enim Opuſculum hoc meum ſimul cum alijs legi, vt illuſtrium virorum ſocietate inclareſcat,) illud vnum ſanè maximũ, & palmare infero, ac deduco, quia ſi liceret, ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, nulla prorſus aſſignabilis eſſet opinio quamuis laxa, & chriſtianæ diſciplinæ relaxatiua, quam ſequi non poſſet Probabiliſta, quia non eſſet aſſignabilis vlla Propoſitio, quæ non eſſet aliquo modo probabilis, ideſt, quæ non eſſet ab aliquo Auctore probata, & aliqua ratione munita, at hoc eſse maximum, & palmare abſurdum, patet ex eo, quia aliàs quilibet Probabiliſta ſuæ ſententiæ innixus potuiſſet ſequi, (antè earum tamen condemnationem) quamplures propoſitiones, quas Sanctiſſimus Dominus

nus Noſter Alexander VII. in Decreto S. Inquiſitionis damnauit, reprobauit, tanquam falſas, & improbabiles, & ad praxim non poſſe reduci, ſeriò præcepit, nulla enim harum Propoſitionum eſt, quæ ab aliquo Auctore non probetur, aliqua ratione non fulciatur; &, vt vno proſpectu poſſit quilibet vir prudens, & timoratæ conſcientiæ, damnatas propoſitiones attentè conſiderare, & ſecum ipſe conferre, illas mox infrà ſubijciam.

Nequè dicas, non properteà improbandam, & reijciendam aliquam ſententiam, quia ex ea ſequantur abſurda, ſicut non ideò improbanda eſt aliqua lex, quia ex ipſa ſequuntur abuſus, ſæpè enim ex bono ſequitur malum.

Nam contrà eſt, quia nec arbor mala poteſt bonos fructus facere, nec arbor bona malos fructus facere per ſe loquẽdo, nam eſto per accidens, & ex hominum malitia ſequantur mala ex bono, abuſus ex lege aliàs de ſe bona, & honeſta; per ſe autem, & ſpectata rei bonæ, & ho-

honeſtæ legis natura non poſſunt ſequi mala, & abuſus, alioquin in nullo vnquam caſu verificaretur illud Euangelij Luc. 6. non poteſt arbor mala bonos fructus facere, nec arbor bona malos fructus facere.

PROPOSITIONES DAMNATæ ex Decreto S. Inquiſitionis coram S.mo. Ann. 1655. die 24. Septembris ſunt, videlicèt

I. Homo nullo vnquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi diuinorum præceptorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir equeſtris ad duellum prouocatus, poteſt illud acceptare, nè timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati

Digitized by Google

cultati Tridentini; in qua de occultis criminibus ſermo eſt. An. 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio Sacræ Congregationis viſa, & approbata eſt.

IV. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcunquè ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

V. Quamuis euidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

VI. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad Venerem inuitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proindè non eſt denunciandus.

VII. Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis, eſt; ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt eum abſoluere abſquè onere denuntiandi.

IIX. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos

cerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idquè poſt decretum Vrbani VIII.

IX. Poſt decretum Vrbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſibi retenta.

X. Non eſt contrà Iuſtitiam pro pluribus ſacrificijs ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre, nequè etiam eſt contrà fidelitatem, etiam ſi promittam, promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium quòd pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in Confeſſione oblita, ſeù omiſſa ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

XII. Mendicantes poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopis reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporũ facultate.

Digitized by Google

XIII. Satisfacit præcepto annuę Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.

XIV. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

XV. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minitantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ſuæ Religioni publicè, & cũ grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

XVIII. Li-

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, & etiam Iudicem, à quo iniqua certa imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehenſam.

XX. Reſtitutio à Pio V. impoſitá beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia antè ſententiam declaratoriam Iudicis, eo quòd ſit pœna.

XXI. Habens capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitat.

XXII. Non eſt contrà Iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro e-

molumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult ſe ſubijcere præcepto.

XXIV. Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata eiuſdem ſpeciei infimę, ideoquè ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſse pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta graue peccatum contrà Caſtitatem, non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent opinionem pro ſe æquè probabilem, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

XXVII. Si liber ſit alicuius Iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, reiectam

eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat, etiam ſi abſquè vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

XXIX. In die Ieiunij, qui ſæpiùs modicum quid comederet, & ſi notabilem quantitatem in fine comedat, non frangit jeiunium.

XXX. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jeiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jeiunio.

XXXI. Excuſantur abſolutè à præcepto jeiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcunquè iter agant, etiam ſi iter neceſſarium non ſit, & etiam ſi iter vnius diei conficiant.

XXXII. Non eſt euidens, quòd conſuetudo comedendi oua, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per

Digitized by Google

quaſcumq; eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit.

XXXIV. In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

XXXV. Vno officio poteſt quis ſatisfacere duplici pręcepto pro die pręſenti, & craſtino.

XXXVI. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti *Priuilegiis* ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodiè ſunt reualidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quàm primùm, eſt conſilium, non præceptum.

XXXIX. Illa particula, *quàm primùm*, intelligitur cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

XL. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſ-

ſe

ſe tantùm veniale, oſculum habitſi ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus vlterioris, & pollutionis.

XLI. Non eſt obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, ſi hæc nimis vtilis eſſet ad oblectamentum concubinarij, vulgò (regalo) dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula difficilè reperiretur.

LXII. Licitum eſt aliquid mutuanti vltrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendum vſquè ad certum tempus.

XLIII. Annuum Legatum pro anima relictum non durat plus quàm per 10. annos.

XLIV. Quò ad forum conſcientię, Reo correcto, eiusquè contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ.

Digitized by Google

XLV. Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri vſquè dum adhibita diligentia corrigantur.

Ad I. Reſp. negando maiorem, quia, vt habetur in Decreto S. Inquiſitionis ſupràcit. à Chriſto Domino fuit definitum, quòd via ſalutis, ſeù Lex Diuina ſit arcta, & difficilis. Ad probationem petitam ex locis ſacræ Scripturæ, dico; ea loca non poſſe ità ſuauiter intelligi, vt ſonant, aliàs ſibimetipſi ſacra Scriptura contradiceret, non enim eadem via poteſt eſſe arcta, & difficilis ſimpliciter, & abſolutè: & ſimul lata, & facilis ſimpliciter, & abſolutè; cùm ergò à Chriſto Domino definitum ſit, quòd ſit arcta, & difficilis abſolutè, ſimpliciter, & abſquè vlla gloſſa, ità debet intelligi; vnde quando ex alijs Scripturæ locis dicitur lata, & facilis, non debet hoc ſimpliciter, & abſolutè intelligi, ſed ſecundùm quid, & cum aliqua limitatione, explicatione, & gloſſa, videlicèt, in ordine ad amantem, ità D.

Aug.

Digitized by Google

Aug.lib.de natura,& gratia,c.69. Omnia ſunt facilia Caritati. Lib. de Perfectione Iuſtitiæ c. 10. Quis autem neſciat, cùr præceptum generale ſit Caritas, quia finis præcepti eſt Caritas,& plenitudo legis eſt Caritas,non eſſe graue,quòd diligendo ſit,non timendo; perfecta Caritas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam non ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſubleuantem vice pennarum. Demum lib.de Gratia,& lib.arb. c.17., ſarcina illa, quæ infirmitati grauis eſt, leuis efficitur Caritati, talibus enim Dominus dixit eſſe ſuam ſarcinam leuem,qualis Petrus fuit,quando paſſus eſt pro Chriſto. D.Bernardus lib. de diligendo Deo, Quomodo inſuperabilis eſt Caritas omnia ſuperans, ità eſt inſatiabilis omnia vorans; D.Thomas Opuſc.4.de X.Præcept. etiam aduerſa, & difficilia ſuauia videntur amanti.

Ad id,quod dicitur de legibus humanis, ſatis abundè reſpondit Mercorus in ſuo Opuſc.p.2.art.28.dictum tex.intelli-

gendum

gendum eſſe de infligendis pœnis, & alijs caſibus ibi expreſſis, vt explicat Gloſ. ibi l.ſemper ff. nou. de regulis Iuris, quam explicationem recipiunt alij Doctores. Vel eſſe intelligendum cæteris paribus, quando benigniora, & ſeueriora ſtant pro lege, & ſunt in eadem linea honeſtatis.

Prætereà poteſt negari Minor eius Argumenti, nam eadem eſt difficultas, ſi fortè non eſt maior in diſcernenda probabiliori à probabili, quæ eſt in diſcernenda probabili ab improbabili, ſeù ſuſpitione, probabilis enim eſt probabilior reſpectu improbabilis. Vel, opinio probabilis media eſt inter probabiliorem ex vna parte, & improbabilem ex altera, ſicut enim probabilior innititur motiuis ſolidioribus, & validioribus ſuprà probabilem, ità probabilis innititur ſolidioribus, & validioribus motiuis ſuprà improbabilem, ſeù ſuſpitionem, & debet vir prudens, & circumſpectus hæc omnia diſcernere, & ponderare; ingenuè id fatentur

tentur

tentur etiam Aduerſarij. Audi Caramuelem in Theol. Reg. diſp. 6. art. 3. Concl. 3. n. 31. Lector caſuum conſcientiæ ab Abbate eligatur, qui ſciat benè diſtinguere inter probabilitatem, & improbabilitatem, vt diſcipulus verè poſſit dicere, viam mandatorum tuorum cucurri, cùm cor meum ignorantiæ rigore compreſſum, opinionum benignitate dilataſti: Audi Baſſæum in ſuis Flor. v. Conſcientia n. 6. pag. 199. ſuſpitioſum erit, ſi ex leuibus coniecturis inclinaretur paululum in alteram partem, ità tamen vt in alteram fortiùs trahatur. Alibi Caramuel relatus à Vinc. Baron. t. 1. d. 2. ſect. 1. pag. 126. ingenuè fatetur, ſe grauioribus vrgeri difficultatibus in conſtituenda notione authenticæ, & rationalis probabilitatis, quàm nos in probabiliori conſtituenda, & inquirenda. Præthereà Probabiliſtæ illi, qui certum iudicium practicum requirunt pro ſequela opinionis probabilis, adhùc grauioribus vrgentur difficultatibus, vt fuſiùs infrà, in conſtituendo tali iudicio.

E con-

E contrà Probabiliores non exigunt rigorosũ examen probabilioritatis quaſi ad lancem expenſæ, ſed dicunt eſſe ſatis, noſſe, quod nec pueri ignorant, quid ſit honeſtum, quid iuſtum, quid diuinæ legi conforme, quod ſanè ſolo lumine naturali innoteſcit. hinc M. Tullius lib. 1. off. §. de Iuſtitia, Æquitas lucet ipſa per ſe; Ariſt. 1. Eth. 3. ait, in morali materia ſatis eſſe, vt verum oſtendatur pingui minerua, & adumbrata figuratione. D. Thomas Opuſc. 4. de X. Præceptis docet, hominem per lumen naturale cognoſcere quid agendum, & quid vitandum ſit. Plura vide apud D. Fagnanum in Opuſc. fol. 80. 81.

Deindè difficultas, ſi quę eſt, non debet virum prudentem retrahere à ſequela probabiliori, nam quę difficultas non eſt in diſcutienda conſcientia, & examine cogitationum, inanium verborum, & huiuſmodi, ijs præſertim, qui diſcuſſionẽ huiuſmodi diù diſtulerint? Quæ difficultas non eſt in eliciendo actu contritio-

tionis,& actu amoris Dei perfect, & ſuper omnia? quæ difficultas generaliter non eſt in obſeruandis mandatis Dei, & Eccleſiæ, nunquid propterea deſerenda eſt diſcuſſio conſcientiæ, omittenda eſt contritio, negligenda eſt obſeruantia mandatorum Dei,& Eccleſiæ?

Demum hac difficultate fiunt opera noſtra pretioſa,&meritoria,difficultas eſt de eſſentia virtutis,& meriti, ideòquè ad exercitium virtutis, & ad meritum inſeruiſſe Deum difficultates quaſdam in executione mandatorum ſuorum docuit Cæleſtinus 1.Epiſt. ad Populum, & Clerum.C.P.circà medium. En verba.Chriſtianorum animas nunquam non aliquę difficultates tanquam in palæſtra exercent.

Ad II. quod torum eſt fundatum in illo Axiomate,quod ſupponitur communiſſimè receptum à Scholaſticis, *Qui ſequitur opinionem probabilem,prudenter operatur.* Reſp. in primis, Axiomata non eſſe articulos fidei, quaſi negari non poſ-

ſint

ſint; non eſſe præcepta Decalogi, quaſi non poſſint non obſeruari. Deindè dico, Axiomata plures admittere limitationes,& exceptiones, ; Et quidem tria illa omnium prima,capitalia, & fundamenta cæterorum omnium, *Dici de omni. Dici de nullo. Quæ ſunt eadē vni tertio, ſunt eadem inter ſe*,non ſinè mu ltis limitationibus, & explicati onibus admittuntur; nam illud primum, *Dici de omni*, ideſt, quid quid affirmabis de Vniuerſali vniuerſaliter diſtributo, affirmabis de quolibet ſuppoſito,ſeù inferiori eius, non ſine aliqua limitatione verificatur,non enim quidquid affirmabis de Homine, affirmabis de Petro,& *Paulo* ; Homo eſt ſpecies, Petrus, & Paulus non ſunt ſpecies; ſpecies ergò prædicatur de Homine, non de Petro, & *Paulo*. Pariter, *Dici de nullo*, ideſt, quidquid negatur de Vniuerſali uniuerſaliter diſtributo, negatur de quolibet ſuppoſito,ſeù inferiori eius,debet omninò limitari, nam non benè negabis de Petro,quòd ſit indiuiduum, & tamen id

benè

benè negabis de Homine. Tertium, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, licèt dicatur eſse primum omnium, & priora illa duo in eo fundari, multis tamen patet explicationibus, & limitationibus; numquid, quia in diuinis Pater, & Filius ſunt idem cum diuina eſſentia, tanquam cum tertio, ſunt idem inter ſe? nunquid quia præterita, & futura communi voce dicuntur prȩſentia æternitati, ſunt prȩſentia inter ſe? Qui ſunt ſocij vni tertio, non ſunt ſocij inter ſe, hinc Vlpianùs lib. 30. ad edictum dixit, ſocij mei ſocius, meus ſocius non eſt: nec hiſce exceptionibus, & limitationibus axiomata iſta omninò firmantur ex regula illa Iuriſtarum, exceptio firmat regulam in reliquis non exceptis, nam & hoc ipſum Iuriſtarum axioma ſuas habet limitationes, & exceptiones; ſed quicquid tandem ſit de hoc, diço, Axioma illud, *Qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur*, verificatur, quando probabile nil minus, ac probabilius ſtat pro obſeruantia legis,

legis, & præcepti, ſecùs ſi ſtat pro libertate,& commodo ob rationes ſuprà adductas. Et quidem grauis auctoritas, & grauis ratio non retinet grauitatem, & pondus, ſi comparetur cum grauiori, & ponderoſiori, & ideò non diceretur fulciri graui auctoritate, & graui ratione, qui in concurſu grauioris,& probabilioris ſequeretur probabilem, ac proptereà leuitatis notam non effugeret. Nobilis quidam Recentior hoc Axioma ſic eſſe intelligendum, docet; quatenùs qui ſententiam,quam ſequuntur alij multi prudentes in iudicando, & opinando,ſequitur,non ſit contemnendus tanquam imprudens, & praui judicij, quandò aliàs illi conſtet oppoſitum,quod illi opinantur,eſſe melius, probabilius,aut fortaſſe verũ. Sed idem Auctor docet vbi ſuprà, Illum operari prudenter, qui penſatis omnibus facit id, quod ſibi videtur probabile, non id quòd videtur probabile alijs, nemo enim in aliquo ſuo negotio, in quo iudicaret A. eſſe melius

B.

B., eligeret potiùs B. quàm A. An hæc poſteriora verba cum prioribus cohæreant, Tu, mi Lector, iudica.

Ad III. Reſp. Summos Pontifices in Diſpenſationibus, & alijs eorum Decretis, ſecutos ſemper eſſe opiniones P.P., probabiliores, & tutiores, haberi primò quia Clemens V. in Concilio Viennenſi, in illa controuerſia, An pueris in Baptiſmo infunderentur gratia, & virtutes; reſpondit, ſententiam affirmatiuam ſacro approbante Concilio duxiſſe ſe eligendam, tanquam probabiliorem. Secundò quia, idem eſt ius Canonicum, & ius Pontificium, quod Summi Pontifices condiderunt, & ſeruant; at ſecundùm ius Canonicnm probabiliora eſſe ſequenda, diximus ſuprà, ergò. Deniquè quia in Decreto S. Inquiſitionis nuperrimè edito Sanctiſſimus declarat, ſibi diſplicere, nouum modum opinandi nonnullorum Doctorum, ex quo via ſalutis redditur nimis laxa, & ſpatioſa, quia ex eo fit, quãlibet opinionem, fortaſse falſam, & im-

Digitized by Google

probabilem fieri probabilem, & ſequela dignam; & ratio reddi poteſt quia, vt ſuprà notaui ex c. neceſsaria 1. q. 7. & c. Quod pro remedio; ſæpè ex circumſtantijs loci, temporis, maioris mali vitandi, neceſſitatis fit probabilius, quod videbatur, ſeù etiam erat tantùm probabile, moralia enim omnia maximè ab huiusmodi circumſtantijs dependent, & hauriunt ab his maiorem, aut minorem probabilitatem.

Dices. Summi Pontifices diſpenſarunt in Voto Religionis, & Caſtitatis; pariter diſpenſarunt in miniſtro Sacramenti Confirmationis, ſed probabilior ſententia eſt, Summos Pontifices non poſſe huiusmodi diſpenſationes exercere, & probabilius eſt, poſſe; ergò ſummi Pontifices relicta probabiliori ſecuti ſunt probabilem. Maior patet ex varijs exemplis petitis ex Eccleſiaſticis hiſtorijs; nam in primis quò ad Votum Caſtitatis, & Religionis Alexander III. diſpenſauit cum Nicolao Iuſtiniano Monacho S. Nicolai Vene-

Venetiarum, vt refert Volaterranus, lib. 4. Hiſt. Secundò cùm Ramiro filio Santij Regis Aragoniæ monacho in Monaſterio S. Pontij de Tomerijs territorij Narbonen. Summi Pontifices diſpenſarunt An. Domini 1147. vt referunt Lucius Marineus Siculus lib. 8. c. vlt. de mirabilibus Hiſpaniæ; Io. Vaſeus in Chron. c. 18. Tertiò Calixtus III. diſpenſauit cum Conſtantia filia Rogerij Regis Siciliæ, & Neapolis moniali in Monaſterio Panormitano, vt refert Platina in Calixto III. Quartò Clemens II. diſpenſauit cùm Caſimiro filio Regis Poloniç monacho in Monaſterio Cluniacenſi textatur Chromerus lib. 4. de origine, & rebus geſtis Polonorum. Quintò demum Greg. XIII. diſpenſauit cum fratre Cardin. Ioyoſæ Galli Sacerdote profeſſo, & Prouinciali ordinis Capuccinorum referunt Sotus in 4. d. 18. q. 3. Caietanus 2. 2. q. 87. art. 7.

Quò ad miniſtrum Confirmationis. Gregorius I. vt habetur ex c. Peruenit. diſt. 95. commiſit ſimplici Sacerdoti ad-

Digitized by Google

miniſtrationem huius Sacramenti. Nicolaus I. vt habetur in Append. poſt eius epiſt. 16. idem exemplum eſt ſecutus. Maior eius argumenti probatur; & quidem de indiſpenſabilitate voti ſolemnis Religionis, & Caſtitatis eſt ſententia S. Thomæ 2.2. q. 88. art. 7. & hanc ferè omnes ſequuntur. De miniſtro Confirmationis eſt adeò probabile, & quaſi certum, Pontificem non poſſe diſpenſare, vt ad ſaluãdum factum vtriuſquè Pontificis Greg. I. & Nicolai I. ad varias explicationes recurrerint Theologi, quos vide apud Branc. de Laurea in ſuis Cõ. 3. d. 2. art. 2.

Reſp. Iuxtà cõmuniorem, & probabiliorem ſententiam Canoniſtarũ, & Theologorum eam diſpenſationem eſſe licitam ſummis Pontificibus ex iuſta, & graui cauſa, propter, commune bonum, communem totius Eccleſiæ vtilitatem, pro alicuius Regni reparatione, conuerſione, aut pace, quæ aliter ſperari, aut commodè fieri non poſſet; & ratio eſt, quia ſolemnitas voti introducta eſt lege Eccleſiaſtica,

ca,

Digitized by Google

ca, vt expreſsè habetur c. vlt. de voto in 6. vndè ſicut Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſimplici per omnes D. D., ità & in ſolemni ex aſſignatis cauſis, imò & debet, vt enim habetur in c. non mediocriter de Conſecr. d. 5. Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum, & cauendum eſt omninò, quòd admonet D. Bernardus lib. de Præcepto; nè quod ex caritate inſtitutum eſt, contrà caritatem pugnare videatur; & quidem contrà caritatem eſſet, communi Eccleſię bono non prouidere diſpenſando in præcepto merè Eccleſiaſtico. Plura in hanc rem vide apud Barth. de S. Fauſto in Theſ. Relig. lib. 3. q. 36. fol. 216.

Ad auctoritatem D. Thomæ, qui videtur eſſe in contrarium, plana eſt Reſponſio. D. Thomam ibi non docere, Votum ſolemne eſſe indiſpenſabile, ſed ſolùm ſolemnitatem voti eſſe ex Apoſtolica traditione, vt patet legenti textum, nam eius verba formalia ſunt; ſolemnitas vo-

ti attenditur ſecundùm aliquid ſpirituale, quod ad Deum pertineat, ideſt, ſecundùm aliquam ſpiritualem benedictionē, vel conſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolica, adhibetur in profeſſione certæ regulæ; At non benè ex his verbis inferunt aliqui, ſolemnitatem voti non eſſe ex præcepto Eccleſiaſtico, ſed Diuino, atquè adeò eſſe indiſpenſabilem; nam in primis etiam jeiunium Quadrageſimale eſt ex Apoſtolica traditione, & tamen eſt præceptum Eccleſiaſticum; Cælibatus Sacerdotum eſt ex Apoſtolica traditione, & tamen eſt ex præcepto Eccleſiaſtico, à quo diſpenſati ſunt græci Sacerdotes, quibus permittitur vſus matrimonij antè ſacros ordines contracti. Deindè dato, quòd talis ſolemnitas ſit de iure diuino, licèt ſummus Pontifex non poſſit in iure diuino diſpenſare, poteſt tamen declarare, in quo caſu ius diuinum obliget, vel non obliget, in qua re valdè notanda ſunt verba Riccardi in 4. d. 38. relata, & approbata à Sylueſtro in Sum. V.

Papa.

Digitized by Google

Papa. Si occurrat caſus, in quo non videretur habere ratio legis, non dediſſet Deus Paſtorem, qui conſulere poſſet omnibus occurrentibus, & neceſſariò expediendis, non videretur fuiſſe bonus Paterfamilias, nec poſſet dici Papa, generalis Commiſſarius Dei aſſumptus in plenitudinē poteſtatis, cuius contrarium determinatur, c. Qui ſe ſcit. 2. q. 6. & c. Quodcunquè 14. q. 1. & ſic intellige, & limita capitula, quę vidētur dicere, quòd Papa contrà diuinam legem non diſpenſat, ſcilicèt, vbi ratio legis non deficit, vt in primis principijs legis naturalis, & in præceptis primæ tabulæ, in quibus ipſe ordo in Deum præcipitur. Hinc refert Canoniſtas docentes, quòd Papa poteſt ius diuinum declarare, interpretari, limitare, diſtinguere, & etiam augere; intellige, quantum ad particulares determinationes, & quantum ad interpretationē

In Concilio Tridentino plurium P.P. ſententia fuit, quòd ſi fortè contigiſſet, reſidentiam Epiſcoporum definiri, eſſe

de iure diuino, non propterea imminutam iri Pontificiam Iurisdictionem quò-ad diſpenſationes concedendas epiſcopis de non reſidendo. Cardinalis Pall. in hiſt 3. impreſ. lib.3.n.58.lib.16.n.46. lib.17. n.XI.& ſeqq.

Quò ad miniſtrum Sacramenti Confirmationis,licèt miniſter ordinarius per omnes D.D. ſit ſolus epiſcopus, tamen poſſe hanc facultatem à Summo Pontifice ſimplici Sacerdoti delegari, eſt ſententia vel definita, vel approbata à Concilio Florentino in Decreto Eugenij IV. §. Quintò Eccleſiaſticorum, & à Concilio Senonenſi in Decretis morum c. 38. & ideò eſt ſententia probabilior. Verba Concilij Florentini loco cit. ſunt: Legitur autem aliquandò per Apoſtolicę Sedis diſpenſationem, ex rationabili,& vrgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem chryſmate per epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Vide in hanc rem Brancát.de Laurça vbi ſuprà,Petr. Arcudium

lib. 2.

Digitized by Google

lib.2.de Sacramentis cap. 10. & ſeqq. vbi multis exemplis demonſtrat & olim, & hodiè ſummos Pontifices, aut tacitè,aut expreſsè permiſiſſe,aut conceſſiſſe, ſimplicibus Sacerdotibus, vt Sacramentum Confirmationis conferrent, & adminiſtrarent.

Ad IV. Reſp. negando minorem; ad eius probationem, dico in primis,honeſtatem actionis non poſſe deſumi à certitudine phyſica, aut mathematica honeſtatis obiecti, hæc enim non poteſt haberi, vt benè exponit argumentum, ſed benè poteſt deſumi à certitudine morali honeſtatis obiecti, hanc enim eſſe poſſibilem, & cognoſcibilem oſtendi ſuprà in Reſp.ad I. nec poteſt talis actio regulari ab illo principio vniuerſali, *Qui amplectitur obiectum probabiliter honeſtum,non peccat*, quia eſt falſum in hac materia practica, & morali,aut ſaltem nõ eſt exploratè certum,aut verum, ſed expoſitum præſenti quæſtioni, & examini D.D. Deindè dico, virum prudentem,& circum-

circunſpectum non poſſe ſibi certò perſuadere ineſſe obiecto honeſtatem, quando ſcit, & æqua lance ponderat de illa honeſtate duas eſſe ſententias, quarum vna ſit probabilis, altera probabilior, & moraliter certa, non enim poteſt intellectus non inclinare in probabilitatem, quemadmodum (& eſt ſatis vulgare exemplum, aptiſſimum tamen ad rem iſtam declarandam) non poteſt ſtatera non inclinare in partem, ſeù lancem ponderoſiorem.

Ad V. quod eſt Achilles, ſed me judice, miſerum effugium Aduerſariorum; dico, ab Intellectu, in quo ſimul reluceant rationes vtriusquè ſententiæ, non poſſe formari vllo modo judicium practicum certum, quòd ſequela opinionis probabilis concurrentis cum probabiliori, non ſit peccaminoſa, ſed licita, & honeſta, quia rationes mouentes Intellectum ad formandum tale judicium ſunt merè, & nudè probabiles, ergo non poſſunt generare judicium certum, comparan-

paran-

parantur enim illæ rationes ad tale judicium ſicut præmiſſæ ad Concluſionem; & quidem præmiſſę probabiles non poſſunt generare Concluſionem certam, huic diſcurſui innixus S. Thomas 1. 2. q. 13. art. 5. docet, non poſſe eſſe electionem, niſi poſſibilium, quia non poſſumus eligere media, niſi poſſibilia, non enim per media impoſſibilia poſſumus peruenire ad poſſibile; ergò per rationes probabiles non poſſumus peruenire ad judicium certum; Deindè in illo Intellectu ſimùl relucent rationes probabiliores, & fortiores partis oppoſitę, vt neceſsariò eſt ſupponendum, niſi velimus mutare ſtatum quæſtionis, qui eſt de concurſu vtriuſquè ſententiæ, & rationum in eodem Intellectu ſimul concurrentium; ergò rationes illæ validiores, & fortiores traherent Intellectum ad ſe, & impedirent judicium certum de ſequela opinionis probabilis, quaſi ſit licita, & honeſta.

Dices. Intellectus in illo inſtanti ſuſpendit attentionem, & aduertentiam ad

ratio-

rationes illas fortiores, & validiores pro parte oppoſita, & ſic] formabit judicium illud certum.

Sed contrà eſt primò, quia jam mutatur ſtatus præſentis quæſtionis. Deindè Intellectus ſic operando non regularetur à prudentia, quia non eſſet circunſpectus, nec haberet adiunctam eubuliam, quia non aduerteret ad circumſtantias occurrẽtes circà illud iudicium. Deindè, quantæ molis, & difficultatis erit, formare duo illa judicia certa, vnum ſpeculatiuum, practicum alterum, aſſertum in argumento; quòd illa ſequela ſit licita? & heùs tu, Probabiliſta mi; vbi eſt facilitas illa, illa ſuauitas, quam in ſequela opinionis tuæ probabilis aſſeruiſti, & ſpondiſti? hoccinè eſt illud jugum ſuaue, & onus leue? vnam vt neges, & tollas moralem certitudinem, quam probabiliores exigunt, de honeſtate obiecti ad operationem licitam, tu tres comminiſceris, easquè per actus reflexos Intellectus? Dicis enim ſequendam eſſe opinionem

nem non quidem probabiliter probabilem, ſed certò probabilem; en prima certitudo à te quæſita; Subdis, formandum eſſe certum judicium practicum, dictans ſequelam opinionis probabilis eſse licitam hìc, & nunc. En altera certitudo, quam requiris. Rurſus hoc judicium practicum mones regulari à judicio certo ſpeculatiuo, quòd ſequela opinionis certè probabilis ſit licita. en tertia certitudo, & tota hæc certitudinum machina in ſola probabilitate rationum, quibus tua iſthæc ſententia fulcitur, ſuperimpoſita fundatur, & ſtat. Fortaſſe hoc non eſt illud onus intollerabile, quod obijcis, licèt immeritò, & aſſeris reperiri in ſequela probabilioris, cùm maxima difficultas ſit, & penè herculeus labor, huiuscemodi actus reflexos, & triplicata iudicia dignoſcere, diſtinguere, & diiudicare?

At, me iudice, antiquiores Probabiliſtæ, qui in huiusmodi certitudinum anguſtias minimè ſe conij ciunt, & intrepidè,

Digitized by Google

dè, ac magiſtraliter ſuſtinent, opinionem probabilem de honeſtate obiecti ſatis eſſe ad licitè, & ſinè peccato operandum, & claritate, & ſoliditate longè maiori procedunt, & diſcurrunt ſic; Ad operationem licitam non requiritur ſcientia de honeſtate obiecti, ergo ſatis eſt opinio, hæc enim licèt formidinem includat, ea tamen nil obſtat, quò minus illa actio licita ſit, & honeſta; Verùm hi ex alio capite redarguuntur, quia non valet; non datur ſcientia de honeſtate obiecti, ergò ſatis eſt formido, ſeù opinio; nam inter certitudinem phyſicam, quæ habetur ex ſcientia, & inter formidinem, quæ habetur ex opinione, datur certitudo moralis, quæ habetur ex prudentia, cuius actus proprius eſt, eligere probabiliorem in concurſu opinionis merè, & vtcunquè probabilis. Prætereà non benè ſentiunt de formidine illa neceſſariò adnexa opinioni, ea enim fit, vt quis operetur ex conſcientia dubia, & formidoloſa, quæ à peccato non excuſat, vt fusè dictum eſt ſuprà.

Ad

Digitized by Google

Ad VI. Reſp. primò aliqui, in aſſignato caſu licitam eſſe ſequelam probabilis, relicta probabiliori, quia vtraquè ſtat pro lege, & pręcepto, atquè adeò caſum propoſitum eſse extrà ſtatum quæſtionis, & videtur arguens extrà chorum ſaltaſse.

Reſpondent ſecundò alij, diſtinguendo Ant. Qui ſequitur tutiorem, & minùs probabilem, non agit imprudenter, ideſt, temerè, concedunt. Ant. non agit imprudenter, ideſt, ſcrupulosè, negant Ant. prudentiæ enim, ſicut & cuicunquè virtuti morali, quæ in medio conſiſtit, non vnum tantùm vitium, vt mox oſtendam, ſed duo opponuntur; vnum quidem per exceſsum, alterum per defectum; temeritas opponitur prudentiæ per defectum, ſcrupuloſitas, ſeù nimia prudentia per exceſsum; In caſu igitur propoſito ſequens minùs probabilem, & tutiorem, relicta probabiliori, & minùs tuta, non diceretur imprudens per defectum, ideſt, temerarius, ſed diceretur imprudens per exceſsum, ideſt, ſcrupuloſus, & ideò quodam-

dammodo ridiculus per D. Antoninum p.p. tit. 3.c.10. vbi ait, non obligare ità Dei præcepta, vt eorũ obſeruantia quis fiat ridiculoſus ſaltem apud diſcretos,& bonos. & S.Ambroſius in Pſal. 118. non ſit ergò, inquit, irrationabilis timor, nec eſt ſapientia Dei ſinè timore, ità timor ſinè ſapientia eſse non debet. Quòd autem virtus moralis ſita ſit in medio, patet primò ex Ariſt.2.Eth.9. vbi docet, virtutem moralem mediocritatem eſse, mediocritatem verò eſse duorum vitiorum, quorum alterum per exceſsum, alterum per defectum fit; deindè patet Inductione, nam liberalitati v.g. opponitur auaritia per defectum, prodigalitas per exceſſum. Iuſtitiæ opponitur iniuſtitia per defectum, quò ſpectat illud Eccleſiaſtis 7. Noli eſse iuſtus multum, nequè plus ſapiens, quàm neceſsè eſt, nè fortè obſtupeſcas; imò & virtutibus Theologicis, in quantum habent rationem virtutis moralis, duo vitia ſimili modo opponuntur, fidei enim opponitur infidelitas per defe-

Digitized by Google

defectum, ſuperſtitio per exceſſum ; ſpei opponitur deſperatio per defectum, præſumptio per exceſsum. ex his patet Reſponſio ad replicam factam in argumento.

Ad VII. Reſp. negando mai. ad primam eius probationem elicitur Reſp. ex ipſomet Argumento, dicitur enim, quòd motiua probabilioris inducunt magnam formidinem in opinione probabili, ergò illam deſtruunt, & penitùs euertunt, aſſenſus enim habens magnam formidinem non eſt opinio, ſed ſuspitio, non eſt probabilitas, ſed improbabilitas, ſeù falſitas, ſuspitio enim quia habet leue fundamentũ, habet magnam formidinẽ; nec ex eo, quòd grauiora probabilioris deſtruunt fundamenta opinionis probabilis, ſequitur, eam fore euidentẽ, & metaphyſicè certam, ſed ſolùm eam eſſe certam moraliter, ideſt, quòd retenta formidine remota, vt Logici loquuntur, ſeù radicali, careat actuali formidine, ſeù nulla illi occurrat formido, dum eſt parata exire in actum.

Digitized by Google

Ad VIII. Reſp. Iudicium practicè certum non diſtingui vllo modo à dubio ſpeculatiuo de honeſtate materiæ, & ideò non eſſe practicè certum, vt dicitur ab arguente. Prætereà iudicium practicè certũ de probabilitate ipſa, præterquàm non poteſt haberi, vt ſuprà dixi in Reſp. ad 5. non prodeſſe, ſed obeſſe potiùs ad hoc, vt actio moralis eſſet licita, quia certificaret hominem de formidine illa, quę eſt in pròbabilitate, ergò redderet illum formidoloſum, & dubium in operando; exponeret illum periculo peccati, ergò non excuſaretur à peccato, & talis eius actio non eſſet licita; nequicquam ergò prodeſſet talis certitudo de probabilitate honeſtatis obiecti, ſed eſt omninò ponenda de ipſa obiecti honeſtate, certitudo, inquam, moralis, de qua in præſenti eſt ſermo. Accidiſſe nobis in hac quęſt. videtur, quod olim accidiſſe accepimus D. Aug. D. Hieronymo, & alijs Catholicis in quæſt. de neceſſitate Gratiæ per Chriſtum contrà Pelagianos; negabant

Pela-

Digitized by Google

Pelagiani, neceſſariam eſſe Chriſti gratiam ad ſalutem, ſed poſt diutinas diſputationes hinc indè conſtricti; faſſi ſunt tandem, gratiam eſſe neceſsariam ad ſalutem, ſed nomine gratiæ intelligebant donum legis, & Prophetarum? Quid tùm AUGUſtinus, & alij Catholici? Non iſtam gratiam nĕceſse eſt, fateamini, ſed gratiam per Chriſtum. Vide D. Aug. lib. de Gratia Chriſti per totum. & lib. de Gratia, & lib. arb. c. 13. Sic in caſu noſtro nonnulli ex Aduerſarijs negarunt initio motæ Quæſtionis requiri ad operationem licitam, & honeſtam, certitudinem aliquam de honeſtate obiecti; ſed nuperrimè nonnulli alij validiſſimis argumentis conſtricti, faſſi ſunt tandem, aliquam certitudinem requiri, non quidem de honeſtate obiecti, ſed de probabilitate ipſa honeſtatis obiecti: Quid nos ad hæc? Inſtamus, vrgemus, non iſtam certitudinem de probabilitate honeſtatis obiecti neceſsè eſt, fateamini, ſed certitudinem de honeſtate ipſa.

Digitized by Google

Ad IX. Reſp. Glos. ibi ſolùm dicere, Abbatem Ioachim non peccaſſe peccato hæreſis, non ex eo capite, quia fuerat ſecutus ſententiam probabilem, ſed quia erat paratus corrigi, & reipſa ſcripſerat epiſtolam manu propria ſubſcriptam, qua profitebatur, ſe eam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, vt patet ex cit. c. Damnamus verſus finem. & refert S. Antoninus p. p. tit. 3. c. 10. Audi verba. nec tamen dictus Ioachim incidit in hæreſim, aut perfidiam propter hoc, quia dicta ſua omnia ſubiecit correctioni Eccleſiæ. Pariter in Concilio Viennen. non definitur, aut declaratur, peccauerint nè illi, qui contrariam ſententiam minùs probabilem fuerant ſecuti antè definitionem Concilij; fortaſsè ſententia illa minùs probabilis iudicata fuit probabilior à ſequentibus illam.

Ad c. Capellanus de ferijs V. Alij verò; dico, ibi ſermonem eſſe de probabili, & probabiliori, ità vt vtraquè ſtaret pro conſuetudine, atquè adeò pro lege, & præ-

& præcepto, & ſic non eſt caſus noſtræ Concluſionis. Audi verba formalia textus. *Diuerſa tenere in his, quæ ad ſolemnitatem ſpectant, non eſſe peccatum, quia vnaquæquè prouincia abundat in ſuo ſenſu*, in quantum, videlicèt in vnaquaquè Prouincia propria vigebat conſuetudo, c. Vtinam d. 76. c. Illud d. 12.

Imò ex c. Capellanus efficax elicitur argumentum pro noſtra ſententia, nam cùm eſſet quæſtio, An nuptiæ poſſint celebrari tribus ſeptimanis antè feſtum Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, quibusdam negantibus, alijs affirmantibus, conſultus Summus Pontifex à quodam Epiſcopo per Capellanum ſuum; reſpondit, poſteriorem ſententiam ſubtiliori, & meliori ratione innixam, eſſe ſequendam, & notat ibi Gloſ. qnòd *illa ſententia debet ſemper obſeruari, quæ meliori, & ſubtiliori ratione iuuatur*, ergò melior, ideſt, probabilior eſt ſequenda.

Ad X. Reſp. Sententiam de vſu opinionis vtcunq; probabilis, nuperrimam

eſſe, & nouiſſimam, in confeſſo eſſe apud pleroſq; Probabiliſtas. Vide Theol. Reg. diſp. 6. art. 3. impreſſam Venetiis An. 1651. & fundam. impreſſam Francofurti An. 1652. n. 194. 204. Sed cùm viderent, ſe nouitatis opinionum inſimulari ab Antagoniſtis ſuis, aſſeruerunt, vſum opinionis huiuſmodi fuiſſe antiquiſſimum, & benè notum Angelis, & protoparentibus generis humani; Vide Apolog. epiſt. 4. impreſſam Anno 1656.

Ex Probabilioribus Pater Mercorus olim Mantuæ, nunc Mediolani S. Officii Inquiſitor meritiſſimus in ſuo Opuſc. p. 2. art. 26. eruditè oſtendit, vſum opinionis probabilioris, quia ſui originis initia non inueniuntur, haberi ex Apoſtolica traditione iuxtà regulam D. Auguſtini lib. 4. de Baptiſmo contrà Donatiſtas; Quòd ab vniuerſa Eccleſia ſeruatur, nec vlla eſt memoria eius inſtitutionis ex Apoſtolica traditione procedere, exiſtimandum eſt, ideò non eſt, cur Probabiliſtæ de antiquitate ſuę ſententiæ glorientur.

Præ-

Prætereà argumentum ductum à ſolâ antiquitate non videtur eſse inuictum, & efficax. Nonnè Paganiſmus, & Iudaiſmus antiquior eſt Chriſtiana Religione, ſaltem ſub expreſso hoc nomine chriſtianæ Religionis, quicquid ſit de reipſa? & quot ſunt Philoſophicæ, & Theologicæ ſententiæ antiquatæ iam, & ſuamet vetuſtate penè ſepultę? rectè Tertullianus lib. de Anima c. 8. Nequè veritas deſiderat vetuſtatem, nequè mendacium deuitat nouellitatem, ęquè enim mendacium, ac veritas antiquum eſse poteſt; & ſanè tunc doctrinæ, vel ſententiæ antiquitas eſt cõmendabilis, quando iuncta eſt cùm ſanctitate, & eminentia doctrinæ ſiuè naturalis, ſiuè ſupernaturalis, quę eſt à fide diuina. Vide D. Thomam 1. 2. q. 42. art. 3. ad 1. Henricum de Grandauo Quodlib. 4. q. 33.

Fateor, in Magno Alberto tria hæc concurrere, antiquitatem, ſanctitatem, & eminentiam doctrinæ, ſed adducta eius verba noſtram ſententiam non pulſant.

Digitized by Google

Primò, quia aliud eſt, quid vir idiota, quid ſimplex frater, aut pia muliercula conſulens Doctorem ſequi debeat, & poſſit opinionem vtcunquè probabilem ſequi, vt nos infrà oſtendemus, & aliud eſt, quid homo eruditus, & mediocriter literatus, qui ſciat opinionum momenta librare, præſtare debeat in ſalutem animæ ſuæ.

Deindè ſi probabilis vtcunquè opinio ſtet pro lege diuina, & præcepto, & pariter probabilior, caſus eſt diuerſus ab expreſso in noſtra Concluſione.

Et quidem ex ſupradictis clarè conſtat, pro noſtra ſententia ſtare D. Thomam locis cit. cuius laus poſtrema non eſt, quæ fuit ei delata à Clemente VIII. in Breui ad ciues Neapolitanos, quòd nimirum eius doctrina fuerit abſquè vllo prorſus errore conſcripta. Eius verba relata ſunt ſuprà in Prob. Concluſionis. Floruit D. Thomas An. Dom. 1270.

Pro eadem ſententia noſtra ſtant Ioannes Duns Scotus Doctor ſubtilis locis

cit.

Digitized by Google

cit. vbi etiam eius verba ſunt relata, floruit An. 1300. S. Antoninus p. p. tit. 3. c. 10. Vbi aſſignans plures regulas rectificandi conſcientiam, pro quarta regula ponit, ipſam alicuius opinionis tutam electionem, ſunt enim, inquit, de aliquibus materijs moralibus Doctorum opiniones contrariorum, & tunc ſcrupuloſi dubitãt, quam partem poſſint cum bòna conſcientia eligere; pro cuius enodatione difficultatis notandum, quòd cum bona conſcientia poteſt quis tenere vnam partem alicuius opinionis, & ſecundùm eam operari, excluſo ſaltem ſcandalo, quæ, ſcilicèt, habeat pro ſe notabiles Doctores, dummodò talis opinio non ſit contrà auctoritatem ipſam Sacræ Scripturæ, nec contrà determinationem Eccleſiæ Catholicæ, & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit tanquam de *probabiliori parte*, & præcipuè quando quis adhibet diligentiam in-

inquirendo. An liceat, nec inuenit aliquid, quod eum ſufficienter moueat ad hoc, quod ſit illicitum. Floruit S. Antoninus à conſilijs dandis dictus Conſiliarius Archiep. Florentinus Ord. Præd. An. 1459.

S. Bonauentura S.R.E. Card. & Epiſcopus Albanus, cuius verba relata ſunt per extenſum ſuprà, & floruit An. Dom. 1274.

Ioann. Maior Doctor Pariſienſis Andreopoli Theologiæ Profeſſor in Prol. 4. ſent. q. 3. floruit An. 1528. eius verba q. illa 2. ſunt. Teneatur pro doctrina, tanquam eſſet celte in ſilice ſcripta, quòd in via morum modus certior eſt tenendus.

Ioannes Charlierius vulgò de Gerſon, dictus Doctor Chriſtianiſſimus, qui interfuit Concilio Conſtantien. eius verba adducta ſunt in Prob. noſtræ concluſionis, floruit An. 1429.

Hadrianus Papa VI. Hyſpaniarum olim Regis Conſiliarius, Caroli V. Præceptor,

ceptor, Academiæ Louanien. Cancellarius, acclamante Vrbe, & orbe, diuino magis, quàm humano calculo abſens electus Summus Pontifex. in qq. de Reſtit. 9. Iam dictum eſt, floruit An. 1522. eius verba q. cit. ſunt. Mihi videtur planius ſic diſtinguendum, vel ex contrarietate opinionum mouetur quis ad dubitandũ, vel non. Si primum, vel eſt dubium de obligatione vtriusquè partis, ad quam, ſcilicèt, obligemur, & tunc vtraquè pars cenſetur periculoſa, quoniam dubium eſt, quæ illarum liceat, ſeù ad quam earum obligemur, & tunc cæteris paribus non peccat ratione periculi, maxima enim, exponens ſe periculo &c. intelligitur de exponente libero, quando potens vitare periculum, nihilominus eligit, in quo diſcrimen conſiſtit, dicitur, notanter, cæteris paribus, quia ſi vna pars ſit minùs dubia, vel licèt magis dubia, tamen minùs peccatum ſecundum genus mortalis, vel venialis culpæ quia in talibus ſemper eligerè oportet, *quòd ſecurius eſt*,

vel

vel minùs diſpendioſum, ſicut in curatione morbi, etſi periculum fuerit, & valdè veriſimile, quòd membrum minutum ex medicina adminiſtranda omittemus, tamen pro principalis membri cura, putà capitis, vel conſimilis hoc præeligeremus, quamuis etiam dubium ſit, An ſic curari poſſit, modo conſtet, aut præſumatur aliter non poſſe curari, ſed in eo genere peccati, quando veriſimilitudo grauitati debeat præferri, vel è contrà magis docet prudentiæ conſilium, & vnctio, quàm poſſit arte determinari, cuius ſimile tradit Philoſophus 9. Eth. de honeſto neceſsario, & debito in donationibus; vel altera partium non eſt periculoſa, ſed ſecura, & tuta, & benè amat periculum, & peccat partem dubiam amplectens. Si ſecundum principale, non peccat eo peccato, quod eſt diſcrimini, ſeù periculo ſe exponere, licèt peccari poſſit ratione rei, quam agit, vel temeritatis, quia ſuæ, ſcilicèt, exiſtimationi nimis innititur contrà illud *Prou.* 3. Nè innitaris prudentiæ tuæ.

Mar-

Digitized by Google

Martinus Nauarrus, ad quem, tanquam ad oraculum, ex omnibus chriſtiani orbis partibus conuolaſſe, quampluri- mos legimus in eius vita Manuali præmiſsa, qui floruit An. 1500, in dicto manuali c.27. miſcel. 5.n. 286. 287. oſtenſurus ex varijs opinionibus, eam eſſe eligendam, quæ aliam ſuperat, ponit illam eſſe eligendam, quam affirmant D.D. auctoritate, & ſcientia in materia, de qua agitur, *præſtantiores*, & ità quam tenent Theologi, ſi quæſtio eſt Theologica, quam Canoniſtæ, ſi Pontificia, & quam Legiſtæ, ſi ciuilis. at ſemper probabilior ſuperat probabilem, vt patet.

Dominicus Sotus 3.lib.de Iuſtitia, & Iure, q. 6. art. 5. qui interfuit Concilio Trid. Caroli V. à ſacris confeſſionibus; floruit Ann. 1545. hæc habet in terminis c. illo. loquens de Iudice pronunciaturo aliquam ſententiam; neceſſarium namquè eſt, ſententiam *ſecundùm probabiliorem opinionem* ſubſcribere, etiamſi altera ſit probabilis, in ſpeculabilibus namq;

Scho-

Scholarum diſputationibus nullum indè comparatur periculum, quòd quis minùs probabilia ingenij gratia defendat; in practicis verò, quę aliena iura reſpiciunt, nefas eſt Iudici infirmiorem opinionem ſectari, ſicut & medico in practica, ex qua ſalus pendet infirmi, ac multò magis Theologica his, quæ ſunt fidei: ex quo fit, peſſimè ſibi, communiquè bono conſulere Iudices, atquè etiam Medicos, quia poſtquam ſemel vnam opinionem imbiberint, nulla ratione poſſunt ab illa dimoueri, cùm tamen, nè alijs iniuriam intentarent, poſthabere tenerentur proprium honorem, & ad alteram, cum primùm *probabilior* apparuerit, commigrare.

Sylueſter Prieras v. Opinio. q. 2. in eius ſumma, quæ dicitur Summa Summarum, Magiſter S. A. Palatij, floruit Anno 1520. quæſt. illa 2. ſic habet in terminis; ſi autem non apparet, quæ ſit opinio cõmunis, ſed pro vtraquè ſunt famoſiſſimi D. D. Iudex ſequendo aliquam earum non

non tenebitur in ſimili caſu, ſecundùm quòd voluit Inn. in c. Nè innitaris de Conſt. quam ſequitur Bart. in L. fin. C. de pœna Iud. qui malè iudicat, quod verum dicit ſecundùm Innocentium, quantum ad hoc, vt non puniat in foro ſæculari, ſecus tamen in foro conſcientiæ, quia debuit eligere eam, quæ validioribus rationibus firmatur.

Thomas de Vio Card. Caietanus Ord. Præd. in Sum. V. opinione vti, qui Martini Lutheri naſcenti hæreſi reſtitit primus, & floruit An. 1534. hæc habet pro noſtra Concluſione; Opinione vti, vt regula operum interiorum, & exteriorum, eſt quandoquè licitum, quandoq; illicitum; in credendis quidem illicitum eſt, niſi ſubmittendo opinionem regulæ ſuperiori, ſcilicèt, ſanctæ matris Eccleſiæ, & Sedis Apoſtolicæ, quoniam ambiguitatis aliquid habens regula, qualis eſt opinio omnis, reſoluenda eſt in regulam certam, nè error in fide poſſit inueniri, in operandis verò *niſi tutiorem partem eligendo* non

licet

licet opinionem cuiuscunquè aſſumere, vt regulã operis, quoniam eo ipſo, quòd operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia *opinio omnis ambigua eſt, vtpotè cum formidine alterius partis*, & quia præſupponitur, quòd non eligatur tutior pars, conſequens eſt, vt operatio committatur regulæ ambiguę ad caſum peccati, ac per hoc exponitur periculo peccati, quod conſtat eſſe illicitum; etſi de peccato mortali agitur, conſtat eſſe peccatum mortale, facere ſcienter operationem dubiã, An ſit mortalis, quia talis operans mauult implere voluntatem ſuam in tali opere, etiamſi ſit mortale, quàm abſtinere ab illo, ac per hoc præfert diuinæ amicitiæ opus illud, non curando, ſi contingat perdere diuinam amicitiam ex tali opere; & hæc intellige de opinione propriè dicta, nam diximus, quæ eſt cum formidine alterius partis, & per ſe loquendo, non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diuerſi Doctores con-

traria

traria ſentiunt, quoniam cum huiuſmodi contrarietate ſtat, quòd vna pars ſit *ratione ſufficienti ad moralem certitudinem fulta, & iam non eſt opinio apud capientes rationem illam*; ſed quia neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus. Dixi quoquè, per ſe loquendo, quia per accidens contingit, neſcientes diſcernere inter notum opinione, & notum ratione certa morali errare, *& excuſare credentes alterius partis viris probis, & doctis dicentibus, facite ſic, quia licitè poteſt fieri*, non enim exigit Deus ab homine, plus quàm conditio hominis habet, quia diuina ſapientia diſponit omnia ſuauiter:

Nulli ſit mirum, totum hunc Caietani textum à me hìc tranſcriptum, quia in hoc ſolo textu ſatis dilucidè vno proſpectu conſpicitur tota doctrina præſentis meæ quæſtionis; In primis enim habetur, quòd opinio non præſcindit à dubio, ſeù ambiguitate largè ſumpta, atquè

adeò à formidine ; & hæc eſt mêdulla,& eliquatus ſuccus Lectionis primæ. 2. quòd pars ſufficienti ratione ad moralem certitudinem fulta,non eſt opinio,& hæc doctrina habetur non ſolùm Lectione illa prima, ſed etiam Tertia. 3. tutiorem partem eſſe ſequendam ab eo,qui vult eſſe immunis à peccato,& id ego conabor euincere Lectione quarta. 5. Viros illiteratos excuſari ab errore, ſi credant viris probis & doctis, ſeù ſuis magiſtris, & Doctoribus, & hæc eſt doctrina Lectionis quintæ.

Candidus Philaletus, ſeù Andræas Blancus, vir quidem ingenij, & ob ingenuum amorem, morumquè ſinceritatem, cognominis,quod vſurpauit,digniſſimus, S.I.Theologiæ Profeſſor integro Opuſc. (quod non vidi, ſed hæc illi laus à Probabiliſtis defertur,) noſtram ſententiam egregiè tutatus eſt, floruit ætate noſtra.

Paulus Comitolus in ſuis Reſp. Mor. lib.V. q. 15. Doctor Societatis Ieſu, in Præf. ad Lectorem proteſtatur, ſe in ſuis

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Mor. in deligenda opinione, ſe eam ſecutum eſſe, quæ tùm pondere argumentorum, tùm teſtium auctoritate, antiquitate, & multitudine vinceret, & D. Thomæ menti ſemper adhæſiſſe; floruit ætate noſtra. Comitoli verba q. illa 15. n. 1. ſunt, In priore ſententia (quæ erat de ſequenda minùs probabili) fæda Armillæ prolapſio fuit, in ſua enim Summa V. Opinio n. 2. ſatis eſſe dixit, probabiliore abiecta, probabilem ſequi opinionem. & n. 6. aſſignans cauſas, cùr vnius potiùs opinioni, quàm alterius debeamus aſſentiri, ait; ſexta cauſa eſt ea, quam priori quæſtione euoluimus, cùm vna ſententia firmioribus, quàm aduerſaria, rationibus ſubnixa eſt; tunc enim eſt ei neceſſariò aſſentiendum. Hæc Comitolus.

Verùm mihi attentè, ſemel, & iterùm legenti Armillæ, ſeù Bartholomæi Fumi locum citatum à Comitolo, fædam illam prolapſionem in aſſerenda Probabiliſtarum doctrina non inueni, ſolùm dicit

Armilla loc. cit. *licèt aliquando vna opinio ſit melior altera, tamen non tenetur quis ſemper meliorem ſequi, quia non tenetur facere, quod melius eſt, ſed quod bonum eſt, ideò quando dicitur, quod tenetur amplecti tutiorem, intelligitur, quando eſt in formidine alterius partis, ſed quando firmat ſe in vna opinione alicuius Doctoris, quam veram credit, licèt credat aliam opinionem eſſe meliorem, non properea exponit ſe mortali, quia non ſequitur aliquid, de quo dubitet, eſſe falſum, licèt credat minus bonum*. Patet ergò, Armillam loqui de opinione minùs bona, quæ tamen vacet periculo peccati, & ſtet pro obſeruantia præcepti; quod ſanè non aduerſatur noſtræ Concluſioni.

Antonius Merenda integro Opuſc. quòd videre non potui, & aliàs benè noui, Vir ſanè magni nominis, & doctrinæ fama celeberrimus, noſtram ſententiam egregiè defendit.

Viuit ætate noſtra, & floret D. Proſper Fagnanus, cuius animi moderatio planè mira haud permittit laudum eius latè cam-

campũ excurrere, ſatis ſit referre, quinq; poſtremis SũmisPontificibus fuiſſe cariſſimum,& in grauiſſimis Chriſtianæ Reip. rebus à conſilijs ſemper adhibitũ. Tantus vir opinionum probabilium laxitates latè graſſantes orbi chriſtiano perniciem ingentem allaturas, egregijs in ius Canonicum editis commentarijs, inuictè coercuit.

Ad XI. Reſp. In dicto c. Quædam d. 14. ſermonem eſſe de pręceptis Eccleſiaſticis non obligantibus ad mortale, non de diuinis, de quibus procedit noſtra Concluſio; patet ex ipſiſmet verbis textus, quæ ſunt: Pro neceſſitate temporum, aut conſideratione ætatum multa eſſe, quæ oporteat temperari illa conſideratione ſemper ſeruata, vt in ijs, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis eſt contrarium, nec dictis S.S. P.P. inueniatur aduerſum.

Ad c. Nè innitaris prudentiæ tuæ; dico, verba relata in argumento non

inueniri, nam eius c. verba formalia ſunt: Nè innitaris prudentiæ tuæ; prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur, præponit ſtatutis S.S. PP. vel legibus, ideoquè D. Proſper Fagnanus in iure Canonico verſatiſſimus, huic c. inhærens, noſtram ſententiam egregiè tutatus eſt, nihil ergò in hoc c. perſpexit noſtræ Concluſioni aduerſum.

Ad c. Tua nos de Vſuris. Dico pariter. Verba adducta in argumento non inueniri, verba enim formalia eius textus ſunt. Tua nos duxit fraternitas conſulendos, quid ſit de Vſurariorum filijs obſeruandum, qui eis in crimine vſurarum defunctis ſuccedunt, ad quos bona vſurariorum aſſeris deuoluta; Tuæ igitur quęſtioni litteris præſentibus reſpondemus, quòd filij ad reſtituendas vſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viuerent, cogerentur. Deindè dato ea verba in dicto c. inueniri, non ptoptereà benè inferri, poſſe nos agere contrà probabi-

Digitized by Google

babiliorem, quia non ſemper ſententia communior, eſt probabilior.

Ad XII. Reſp. Et quidem ſecernendo vſum ſententiæ tutioris ab vſu ſententiæ probabilioris, vt omninò ſecerni debet, cùm ſæpè accidat, aliquam opinionem eſſe tutiorem, & tamen eſſe minùs probabilem, qualis eſt ſententia de facienda confeſſione ſtatim poſt commiſſum peccatum: dico, paritatem in argumento illatam benè currere, nam ſicuti Deus conſulit, & non præcipit vſum tutioris, aliàs teneremur ſemper ſequi tutiora, & tutiora, perfectiora, & perfectiora, quod eſt omninò falſum, & improbabile. At comparando vſum ſententiæ probabilioris cum vſu, ſeù executione conſiliorum adeſt notabilis diſparitas, ob quã poteſt quidem dici Deus rationabiliter moueri ad præcipiendum vſum probabilioris, & non præcipiendum vſum, ſeù executionem conſiliorum, nam non eſſentialiter, & formaliter, ſed materialiter, valdè remotè, & diſpoſiti-

Digitized by Google

uè, ſeù inſtrumentaliter præſeruat à peccato, è contrà vſus, & executio probabilioris ſtantis pro obſeruantia mandatorum Dei per ſe, eſſentialiter, & proximè præſeruat à peccato; eſt clara doctrina S. Thomæ 2.2.q. 186. art. 2. vbi docet, obſeruantiam præceptorum pertinere ad perfectionem caritatis eſſentialiter, opera verò conſilij pertinere ad eandem, quædam conſequenter, quædam inſtrumentaliter, & diſpoſitiuè; hinc eſt, vt Baptiſmi acceleratio, confeſſio facienda ſtatim poſt commiſſum peccatum non obligent ſub præcepto, quamuis non accelerare Baptiſmum, & confeſſionem, imò & procraſtinare, non fiat ſinè periculo peccati juxtà illud D. Gregorij, in moral. lib. 25. c. 16. Lib. ſuper Iob. 34. *Conteret multos*. Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit; & hoc non ex alio capite, niſi quia huiuſmodi pericula ſunt remota, quæ vitare ſub præcepto non tenemur.

Quòd

Quòd autem dicitur, difficillimum eſſe, ſemper ſe conformari probabiliori, reſponſum eſt ſuprà ſatis abundè ad 1. Argumentum.

Ad XIII. Reſp. Sententias plus iuſto ſtrictiores, non eſſe probabiliores, docent non modò Probabilioriſtæ, ſed etiam Probabiliſtæ, quod vt manifeſtè innoteſcat, venio ad ſingulos caſus in argumento expreſſos; & quidem, quòd confeſſio non ſit facienda ſtatim poſt commiſſum peccatum, eſſe probabilius, docet S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. & cum eo Riccardus, & S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. Ex Probabiliſtis Honoratus Fabri in ſuo Dial. pag. 7. imò oppoſitam ſententiam, ſicut alteram de recitandis matutinis horis ante celebrationem Sacri, dicit improbabilem.

Similiter non eſſe explicādas circumſtantias aggrauantes, dicitur eſſe ſententia probabilior à Nauarro in Man. c. 6. n. 6. & eam docuit S. Thomas in 4. diſt. 16. q. 3. art. 2. & q. 5. & videtur eſſe appro-

bata

Digitized by Google

bata à Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. & in ſpecie circumſtantiam diei feſti ſecundùm communem ſententiam non eſſe explicandam docet Antonius Noctinot in Sum. V. Circumſtantia. Sententia de eliciendo actu amoris, & dilectionis Dei ſuper omnia omnibus diebus Dominicis, eſt ſingularis Io. Scoti in 3. diſt. 27. oppoſita dicitur communis à Scotiſtis ipſis, vt teſtatur Ioan. Poncius in ſuo curſu Theol. diſp. 32. q. 1. concluſ. 3. Summiſtæ communiter recenſentes opera, ad quæ præſtanda tenemur in diebus Dominicis, de hoc actu amoris Dei ſuper omnia mentionem nullam faciunt; & quia eſt actus heroicus, atquè adeò difficillimus, non videtur poſſe cadere ſub præcepto ſecundùm principia doctrinæ Probabiliſtarum, qui faciliora, & benigniora ſectanda eſſe, ſæpiſsimè, & ad faſtidium vſquè inculcant. Vide Toletum in Sum. lib. 4. c. 24. n. 6.

Ad illud, quòd tàm exiguum diſcrimen maioris, & minoris probabilita-

tis

lis ſe ſolo cæteris paribus non ſit ſuffici-
ens ad inducendum diſcrimen maximũ,
quod eſt inter] peccatum, & actum bo-
num; dico, quòd parua ſcintilla magnum
ſæpè excitat incendium; lingua modi-
cum membrum eſt, & magna exaltat.
Iacobi epiſt. c. 3. Particula, NON, ca-
put eſt, ex quo petitur omnis contradic-
tio, & quanti ſit apud Dialecticos, quis
ignorat? ὁμοούσιος, vocula eſt, & tamen
in Oriente primùm, tùm in toto orbe
chriſtiano ea diſſidia excitauit, quæ 300.
annos Eccleſiam dilacerarunt, vt prop-
tereà benè dixerit D. Hieronymus, (le-
gitur in vita Papæ Damaſi) ingemiſcens
orbis terrarum, ſe Arianum eſſe, miratus
eſt; & Eraſmus impiè quidem, ſed verè
indoluerit, propter ipſam vnam vocu-
lam Arium eiectum eſſe de Eccleſia.
ὁμιούσιος ab ὁμοούσιος vno Iota græco
differt, & tamen duas in partes diviſit A-
riminenſe Concilium 600. Epiſcoporum,
nam maior eorum pars, ſiuè decepta,
ſiuè

ſiuè diſſidia vt componerent, amplexati ſunt vocem ὁμιούσιος, repudiata voce ὁμοούσιος: OECVMENICVS, vox vna eſt, adeò vt admiratus valdè fuerit Mauritius Imperator, quòd Gregorius Papa, aliàs Sanctiſſimus, noluerit vnquam pati, eam vocem à Ioanne C. P. Patriarcha vſurpari, & longa ob id, & grauia orta diſſidia non cohibuerit. Monoſyllaba, ET, minima eſt, & tamen ea omiſſa à quibusdam canentibus, Gloria Patri, & Filio Spiritui Sancto, pro eo, quod canerent, Gloria *Patri*, & Filio, & Spiritui Sancto, damnati ſunt tanquam hæretici à Vigilio Papa epiſt. ad Eutherum c. 2. De particulis, ET, *PER*, plures fuiſſe apud Græcos P.*P*. & ſatis longas diſputationes, refert Leo Allatius Vir apprimè eruditus in Vind. Synodi Ephes. & S. Cyrilli de Proceſſione Spiritus Sancti ex *Patre*, & Filio c. 59. θεοτόκος vocula eſt, qua vniuerſus catholicus orbis ſub Cæleſtino I. Papa conflagrauit. θεοδόχος

à

à θεοτόκος vna literula græca differt, & eam propter coacta eſt Synodus Epheſina, quæ Neſtorium Patriarcham C. P. eiecit ex Eccleſia. Audi Cyrillum epiſc. Alexand. epiſt. ad quendam Neſtorij ſectatorem. Vſu namquè interdum venire ſolet, vt exiguarum, planequè leuium rerum occaſione Seruatoris noſtri prouidentia Concilium cogat. Demum ex paruitate materiæ peccatum ex ſuo genere mortale fieri veniale, in confeſſo apud Summiſtas eſt.

Ad vltimũ, quod affertur, quòd maior, vel minor indigentia pauperis non variat ſpeciem ſubuentionis, & miſericotdię; rotundè, & intrepidè nego; nam ſi pauperi in extrema, vel graui neceſſitate conſtituto quis ſubueniat, magis ſubuenit, eſt maior ſubuentio, ſi verò eidem quis ſuccurrat, & ſubueniat in neceſſitate communi conſtituto, minùs ſubuenit, eſt minor ſubuentio; & quis dicat, has duas ſubuentiones non differre ſpecie, cùm prima

Digitized by Google

prima ſit actus præcepti,altera verò actus conſilij. Fateor, quòd ſi quis pauperi in extrema, vel graui neceſſitate conſtituto largiatur duos aureos,atquè adeò magis ſubueniat altero, qui vnum aureum tantùm largitur, atquè adeò minùs ſubuenit,iſtas duas ſubuentiones eſſe eiuſdem ſpeciei, quia vtraquè eſſet actus præcepti; & pariter eſt dicendum,ſi pauperi conſtituto in communi neceſſitate vnus magis, plus largiendo, alter minùs, minus largiendo ſubueniat, erunt duæ ſubuentiones eiuſdem ſpeciei, quia vtraquè eſſet actus conſilij.In caſu noſtro, ſi opinio probabilis, & probabilior ſunt in materia legis diuinæ, & præcepti,non differunt ſpecie; ſecùs ſi probabilis ſtet pro libertate, & commodo, probabilior verò pro lege diuina, & præcepto, quia tunc ratione diuerſæ materię,circà quam verſantur, ſpeciem diuerſam ſumunt, & actus nedùm ab obiecto formali, ſed etiam à materiali, ſæpè etiam à modo tendendi in idem obiectum ſpecificari, ſuppono

pono dictum, & probatum in Philoſophia.

Dices pro Arguente. Magis, & minus non differunt ſpecie; eſt commune dictum, & veluti axioma in ſcholis receptum; Prætereà opinio probabilior ſupponit, & includit probabilem, quia omne comparatiuum ſupponit poſitiuũ, at id, quòd aliud includit, non differt ſpecie ab illo, octauus enim gradus caloris non differt ſpecie à primo, ergò.

Reſp. In primis poſſe hìc iterum vrgeri doctrinam ſuprà dictam, quòd axiomata communiter recepta ſæpè ſunt fallacia, niſi limitentur, ſed nolo actum agere. Deindè dico, illud axioma vniuerſaliter non verificari, nec in re phyſica, nec in re morali, nam maior lux, quæ eſt in Sole, ſpecie differt à minori luce, quæ eſt in aſtris, ſicut aſtra, & ſol ſpecie differunt. rurſus aſtra ſunt diuerſæ magnitudinis, & ſpeciei inter ſe ſecundum quod ſunt magis, & minùs lucida; In re morali id clariùs patet, nam ſi pauperi

quis

Digitized by Google

quis furetur vnum trientem, infert minus damnum, ideoquè peccat venialiter; ſi verò quis furetur nummum aureum, infert maius damnum, & peccat mortaliter; Quis dicat illa duo damna non eſſe diuerſa ſpecie morali, & duo illa peccata, veniale vnum, mortale alterum, non eſſe diuerſa ſpecie? & vniuerſaliter communiſſima doctrina eſt, quam nullus negauerit, dari in aliquibus præceptis paruitatem materiæ, quæ excuſat à peccato mortali.

Ad id, quod dicitur, comparatiuum ſupponere poſitiuũ; vniuerſaliter eſt falſum, nam, an hęc comparatiua, ocyor, & potior, habeant ſuum poſitiuum, dubitat Emmanuel Aluarus inſtit. Grammat. lib. 1. c. 14. n. 3. Apud Moraliſtas datur opinio tutior, quæ non ſupponit tutam, ſed idem eſt, ac tuta, ità Honoratus Fabri in ſuo dial. pag. 37. Antonius Marinarius olim in Rom. Sapientia Profeſſor Ordinarius, nunc Epiſc. Tagaſt. in ſuo opuſc. de opin. Probab. c. 18. n. 13. Patet id etiam

Digitized by Google

iam in Scripturis Danielis 3. Melius eſt incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini, & tamen peccare non ſolùm non eſt bonum, ſed eſt quid peius, & ſic potius vnum comparatiuum ſupponit aliud à ſe diuerſum, imò & contradictorium. 1. ad Corinth. 7. melius eſt nubere, quàm vri; ecquis dicat, vri, eſſe quid bonum? impugnauit olim, & benè, Caramuel hæreticum quendam, qui dixerat, tutiùs in Chriſti meritis, quàm in noſtris operibus ſpei anchoram, figimus, non enim in noſtris meritis minùs tutè, quia nullo modo tutè. Vide Theol. fundam. n. 1365.

Falſum quoquè eſt illud; includens aliud, ab illo non diſtinguitur, nam ſaltem inadæquatè diſtinguitur, vt compoſitum phyſicũ à materia, ſeù forma; & calorẽ vt octo ſpecie diſtingui à primo gradu, quẽ includit gradus octauus, probabilis eſt ſententia Philoſophorum ponentiũ gradus qualitatis eſſe etherogeneos. Demùm opinio probabilior non ſuppo-

nit, ſed deſtruit probabilem, ſi ponantur in conflictu, & concurſu in eodem ſubiecto, nam vt ait Ariſt. 4. met. t. 9. verſus finem. Contraria verò opinio opinioni eſt, quæ contradictionis eſt; & patet ex dictis ſuprà, quòd fortiora motiua probabilioris deſtruunt motiua infirmiora minùs probabilis, ergò probabilior deſtruit probabilem, atquè adeò reddit illam improbabilem, & falſam.

Ad XIV. Reſp. eo argumento etiam probari, nos non teneri ad obſeruanda Dei mandata, & præcepta; quia hęc non innoteſcunt voluntati ea euidentia, qua illi innoteſcit propria libertas, propria enim libertas innoteſcit voluntati euidentia metaphyſica, qua euidentia non innoteſcunt voluntati diuina præcepta, quæ ſolùm habentur fide diuina, certiſſima quidem, ſed obſcura; ſi ergò, vt patet, tenemur obſeruare Dei præcepta, quamuis nobis innoteſcant obſcurè, & per fidem, quarè ſi nobis innoteſcat mandatum Dei de vſu probabilioris certò

certi-

certitudine morali non debemus cedere noſtræ libertati,& commodo, & Deo obedire ſequendo probabiliorem opinionem? Imò ſi præceptum huiusmodi innoteſceret nobis ſola ſuspitione, teneremur cedere iuri noſtræ libertatis, vt amico placeamus, vt enim benè notat ex Probabiliſtis Salas 1. 2. q. 21. tract. 18. ſect. 16. n. 143. Si lex humanæ amicitiæ exigit abſtinendum non ſolùm ab his, quibus certò, vel probabiliter, ſed etiam ab his, quibus dubitat quis, amicum offendi, id à fortiori exigit lex amicitię hominis ad Deum.

Ad XV. Reſpondent nonnulli primò, negando minorem, nam ratio, ob quam poteſt dari iuſtum bellum ex vtraq; parte, non habetur ex eo, quòd quilibet ſequatur opinionem probabilem relicta probabiliori, ſed potiùs ex eo, quòd ex ignorantia inuincibili, ſeù etiam conſcientia erronea, quilibet ſibi perſuadet ſua jura eſſe probabiliora iuribus partis aduerſæ, & ideò defendendo ſua iura, & ge-

rendo bellum aduerſus alium Regem, non peccat, ità docet Abulenſis in Ioſuè c. 11. bellum Iudæorum contrà Amorrhæos & alias gentes fuiſſe iuſtum ex vtraquè parte per accidens, ideſt, ex illa ignorantia inuincibili, gentes enim ignorabant inuincibiliter, datam eſſe terram illam Iudæis à Deo, cuius ſunt omnia iura regnorum.

Reſpondent 2. Alij, & probabiliùs. negando maiorem, putant enim impoſſibile eſſe, dari bellum inter, duos Reges vtrinquè iuſtum, ità ex Probabiliſtis ſentiunt Villalobos, & Vaſq. locis ſupràcit: ratio redditur à poſteriori, & à priori; à priori, quia bellum eſt contrariorum, ergò ſi vna pars eſt iuſta, altera debet eſſe iniuſta, vt habetur l. 1. ff. de his, quæ ſunt ſui, vel alieni iuris: à poſteriori verò, quia ſi Rex quicunquè ductus ſolùm ratione aliqua probabili, iuſtè poſſet mouere bellum aduerſùs alium, qui actualiter poſſideat, magna ſequeretur in Chriſtiana Republica perturbatio, aperiretur

enim

Digitized by Google

enim via ad bella perpetuò, & æternùm gerenda, pax omnis à Chriſtianorum finibus eliminaretur, regna enim, ſicut & alia bona, tranſitoria cùm ſint, & de facto reipſa ex manibus vnius ad alterius manum tranſeant, nulli non Regi poſſet occurrere probabilis aliqua ratio inuadendi, & armis vſurpandi alterius regnũ aliàs pacificè poſſeſſum, & fortaſsè etiam poſſeſſione longi temporis præſcriptum; & tamen Chriſtus Dominus rediturus ad Patrem diſcipulis, & per diſcipulos nobis pacem teſtamento legauit illis verbis Ioan. 14. Pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis.

Ad XVI. Reſp. In opinione probabiliori, eſſe formidinem, vt Logici dicunt, radicalem, & remotam, quæ eſt eſſentiale prædicatum opinionis probabilis, vt probabilis, ſiſtentis in linea, ſeù genere probabilitatis, ſed hæc non occurrit viro prudenti, & circumſpecto, parato exire in actum; & ideò perindè ſe habet, ac ſi reipſa non eſſet; & dato, quòd occurre-

ret, ſicut non tenemur ſub præcepto vitare occaſiones remotas, & remota pericula peccatorum; item de formidine illa valdè remota, & radicali nulla eſt habenda ratio; At in opinione probabili concurrente cum probabiliori ineſt actualis formido de parte oppoſita, quæ propter eà retrahit omninò operantem, niſi velit ſe exponere periculo peccati. Præterquàm quòd, vt notaui ſuprà Lect.I. Opinio probabilior vocetenùs continetur in linea opinionis, reipſa eſt actus prudentiæ, cuius eſt propria certitudo moralis.

Ad XVIII. dico; Aſſenſum fidei quamuis obſcurum, eſſe certiſſimum, & ideò excludere omnem formidinem, ac proptereà eſſe prudentem; at quando ſermo eſt de aſſenſu fidei humanæ, ſi volenti credere Petro v. g. aliquid teſtificanti, occurreret motiuum vehemens contrà eius veracitatem, haud prudenter quis aſſentiret, & præſtaret fidem eius dicto, & ſic talis aſſenſus, quia formido-

midoloſus, non eſt prudens.

Vt tandem nihil prorſus omittam, cuius ſolutio, vel explicatio poſſit à quopiam deſiderari; petentibus, imò & vrgentibus Probabiliſtis; & ad quodnam tandem Decalogi præceptum reducitur præceptum hoc de ſequenda probabiliori?

Reſp. In primis reduci ad primum Decalogi præceptum dilectionis, & amoris Dei ſuper omnia. Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum. Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, hoc eſt maximum, & primum mandatum, nam cùm amor, & dilectio Dei adeò exageratè præcipiatur homini, præcipitur quoquè, vt non ſolùm non offendat Deum, ſed etiam vt vitet pericula omnia illum offendendi, caueat ea omnia, quæ poteſt prudenter exiſtimare diſplicere Deo. Reducitur & ad naturale præceptum, diligendi ſe ipſum poſt Deum, ſuper omnia amandi, & procu-

Digitized by Google

randi ſalutem animæ ſuæ, nam vel à natura ipſa præcipitur homini, vt ea vitet, & caueat, quæ vergere poſſunt in perditionem, & detrimentum animæ ſuæ, cuiusmodi ſunt non ſolùm peccata, ſed & pericula proxima peccatorum, in quæ quis facilè incurreret, niſi ſequatur probabiliorem opinionem relicta probabili de honeſtate obiecti actionis, quam debet eligere.

Dices. In concurſu probabilis cùm probabiliori, quæ non ſit probabilior ſecundùm omnes, non poteſt aſſignari iudex, qui pronunciet, vnam eſſe probabiliorem præ alia, ergò non tenebitur quis ſequi probabiliorem, quam non nouit eſſe talem.

Reſp. Primò retorquendo argumentum. In ſententia probabili, quæ non ſit probabilis ſecundùm omnes (vix enim reperies ſententiam probabilem ſecundùm omnes) non poteſt aſſignari iudex, qui pronunciet, eam eſſe probabilem, nam, quam probabilem eſſe concedit

Tho-

Digitized by Google

Thomiſta, negat Scotiſta, & è contrà.

Quòd ſi dicas, eam eſſe probabilem, & probabilem iudicari, quæ non eſt contrà legem, contrà decreta Pontificia, contrà definitionem Eccleſiæ, contrà Scripturam.

Contrà eſt, quia quis iudex iudicabit, & pronunciabit, opinionem aliquam non eſſe contrà legem, cùm varia, & multiplex omninò ſit interpretatio legis? nam non condemnare reum ex allegatis, & probatis, innocentem verò ex priuata ſcientia, docet S. Thomas 2.2.q.67. art. 2. non eſſe contrà legem; At eſſe contrà legem, docent Ioan. Scotus, Hugo, Angelus, & alii. Lapſum in peccatum mortale, non teneri ſtatim confiteri habita copia confeſſarij: docet S. Thomas in 4. diſt. 17. contrarium docent S. Bonauentura, & Riccardus ibidem. Participare cum excommunicato in loquela, cibo, & huiusmodi in caſu non conceſſo, eſſe mortale vniuerſaliter, docet S. Raymundus in Summa, oppoſitum docent

S. Tho-

S. Thomas in 4. Andræas,& Archidiaconus p. p. tit. 3. c. 10. obligatum ad horas Canonicas, teneri ſub mortali Sabbatho ſancto, tribus diebus Rogationum, & die S. Marci Euangeliſtæ recitare priuatim Litanias cum precibus , & orationibus, ſi non interfuerint publicis, docent Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 25. n. 7. Tannerus in 2. 2. S. Thomæ diſp. 5. q. 1. dub. 5. n. 148. Oppoſitum defendunt Vaſq. opuſc. de benef. c. 4. §. 1. art. 2. dubio 1. n. 58. Molfeſius in Sum. tom. 1. tract. 5. e. 1. n. 56. & Carolus Macigni de horis canonicis c. 29. n. 18.

Si dixerint Probabiliſtæ, id haberi ex dictamine conſcientiæ , ex lumine naturali, aut etiam à viris doctis ex lumine ſcientifico; eadem ratione, reponent Probabilioriſtæ ; poſſe dignoſci, quæ ſit ſentẽtia probabilior ; obſeruandũ tamen hìc eſſet, quod monet Caietanus in Summ. V. opinione vti, vt etiã diximus in X. Prob. Sæpè nos errare ex nimio affectu ad noſtra, & minore quàm opus fuerit exami-

ne ,

ne, reſolutione, ac judicio, dum probabiliora accipiuntur vt demonſtrata.

Dices. Si ex dictamine conſcientiæ habetur, quæ ſententia ſit probabilis, & quæ probabilior, quis negabit ex priuato ſpiritu, ſeù inſtinctu iudicari, & diſcerni, quid eligendum ſit, quid fugiendum; imò ex eodem priuato ſpiritu judicari, quid ſit credendum, quid non credendum; ſed hoc eſt falsũ ſectariorũ dogma, ergò.

Reſp. Proprium dictamen conſcientiæ, & priuatum ſiuè ſpiritum, ſiuè inſtinctum ſequi cum ea animi præparatione, & diſpoſitione, vt paratus quis ſit, illum eundem ſpiritum, ſeù inſtinctum ſubmittere judicio Eccleſiæ longè differre à ſpiritu priuato Sectariorum, qui nolũt ſe ſubijcere iudicio Eccleſiæ; & eſt doctrina clara S. Antonini p.p.tit.4. c.10. verſus finem, vbi cùm dixiſſet, Abbatem Ioachim non peccaſſe, quamuis habuiſſet oppoſitam ſententiam illi, quæ poſteà determinata fuit ab Eccleſia, eo quòd ſubiecerit omnia ſua dicta judicio

Ec-

Eccleſiæ ſubdit; A ſimili licet vnam opinionem in moralibus tenere iuxtà limitata ſuperiùs, vbi ſaltem magis ſapientes non ſentiunt contrarium, & vbi paratus eſt obedire Eccleſiæ, & Scripturæ, ſi ei errorem explanauerit, & vt cùm eodem S. Antonino Lectionem hanc tandem abſoluam

Reſp. 2. ad principale argumentum, quo petitur, qua ratione poſſit dignoſci, quæ ſententia ſit probabilior, quando ab omnibus D. D. non pronunciatur talis; cognoſci opinionem probabiliorem ex eo, quòd ſit moraliter certa; iſta autem certitudo moralis vno trium modorum habetur, videlicèt, primò ex alterius auctoritate, quod pertinet ad incipientes, qui ſcilicèt erudiuntur per alios, iuxtà illud Deut. interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi. Secundò ex propria eruditione, quod conuenit proficientibus ſtudendo in Scripturis juxtà illud Sap. 27. Stude Sapientiæ fili mi. Tertiò ex circumſpectione circunſtantiarum, & hoc

Digitized by Google

hoc quò ad Perfectos; nihil meliùs, aut aptiùs poterat dici à tanto Doctore ad rem noſtram.

LECTIO QVARTA.

An in dubio tutior pars ſit eligenda ex præcepto in foro Conſcientiæ, quæ eſt regula Canonum c. Ad Audientiam de Homicidio, c. Significaſti. c. Iuuenis, & alibi.

VIdetur quòd non. Primò quia eſt altera Canonum regula 65. Bonifacij VIII. In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis, ideoquè ſi dubium ſit, cuius res ſit, poſſeſſor non debet reſtituere, ſed retinere, quamuis tutius eſſet, reſtituere. Habetur etiam in Interdicto vti poſſidetis, ſeù retinendæ l. 1. in principio ff. vti poſsidetis, quòd

Præ-

Digitized by Google

Prætor debeat tueri poſſeſſorem, nè à poſſeſsione per litigatorem deijciatur: Prætereà eſt nota regula Canonum in 6. c. cùm ſunt de reg. Iuris; Cùm ſunt partium iura obſcura, reo eſt potiùs fauendum, quàm actori; cui conſonat ius Ciuile, habet enim Caius lib. 3. de Legatis ad edictum Vrbicum; ſemper in dubijs benigniora ſunt præferenda.

Secundò, quia Iudex non cogitur imponere pœnam, quæ per ſententiam imponenda eſt, donec in ſuo foro certus ſit de delicto, ergò nec reus cogetur in foro conſcientiæ exequi in ſe pœnam legis, donec in eodem foro conſcientię ſit certus de delicto.

Tertiò quia, Regula de eligenda tutiori procedit de dubio juris practico, non ſpeculatiuo, ità vt ſi quis ſpeculatiuè, & in abſtracto dubitet, An aliquis contractus ſit licitus, nec nè, liberè poteſt amplecti minùs tutam partem; at ſi velit contractum celebrare, ſequi debet tutiorem; quòd autem dubium practi-

cum

cum à ſpeculatiuo diſtinguatur, patet ex Ariſt. 2. Prior. c. 26. Contingit ſcire omnē mulam ſterilem eſſe, & dubitare de hac.

Quartò quia, Regula illa, tutior pars eſt eligenda, limitanda eſt ad caſus in cit. cap. expreſſos, nempe c. illo ad Audientiam, c. ſignificaſti, & c. penult. de homicidio, nempè, quando dubium eſt de Irregularitate incurſa propter homicidium, in cuius odium Pontifices ità ſanxerunt, non verò in alijs caſibus ibi non expreſſis, in quibus valere debet altera regula, in dubijs melior eſt conditio poſsidentis.

Quintò quia, ſequeretur nec eſſe ſequendam partem probabiliorem, quando oppoſita eſt tutior, quod eſt abſurdū, & contrà omnia, quæ dicta, & ſtabilita ſunt Lectione ſuperiori de opinione probabiliori ſequenda ex præcepto.

Sextò quia, lex dubia illi, cui eſt dubia, non eſt ſufficienter promulgata, ergò illum non obligat, ac proindè non obſtante ea lege poteſt permanere in poſſeſsione

ne

ne ſuæ libertatis. Ant.probatur, quia additæ ſunt iuri naturali leges poſitiuæ, quia ius naturale non erat ſufficienter promulgatum attenta debilitate intellectus humani, ergo lex dubia, & obſcura, niſi promulgetur, & declaretur non obligat.

Septimò quia, in dubio Iuris formalis, melior eſt conditio poſsidentis, & Beati, qui poſsident; ſed eadem militat ratio de dubio iuris materiali, & de dubio facti, ergò in omni dubio melior eſt conditio poſsidentis. MAI. videtur eſſe certa, quia in omni dubio Iuris formalis, & quando eſt dubium, ſit nè lex, ſtandum eſt pro libertate, & quòd lex non ſit. MInor probatur, quia non eſt reperire maius malum in transgreſsione legis materialis, & minus in obſeruantia, nam ſi malum illud maius reperiretur, legislator illam transgreſsionem prohibuiſſet, & ſic non eſſet merum dubium, quia maior probabilitas appareret pro obſeruantia legis, imò nullum malum eſt reperire in

trans-

transgreſsione legis materiali contrà finem legis, quin potiùs plura bona, putà conſeruationem libertatis, pacem, & nullam mutationem, ſeù perturbationem in Republica, cui ſanè valdè expedit, vt res permaneant eo modo, quo manent.

Octauò, quia in c. extrà. Eſtote miſericordes de reg. Iuris expreſsè cauetur, vt dubia in meliorem partem interpretentur, ergò non ſunt interpretanda in tutiorem, quæ non ſemper eſt melior, ideſt, benignior, & fauorabilior, ſed ſæpè eſt ſtrictior, & rigidior. Præterea ex ijsdem Regulis Iuris in 6. In dubio nullus eſt præſumendus obligatus, & obnoxius, & tamen tutius eſt, cenſeri ſe obnoxium, & obligatum, quàm è contrà.

Nonò quia, lex afferens notabile incommodum, niſi ſufficienter, & ſinè dubio proponatur, non obligat, quia lex poſitiua non præſumitur obligare cum graui incommodo, ergò quando eſt dubia, eligenda eſt, non pars tutior, ſed quæ minorem afferat incõmoditatem, & mo-

Digitized by Google

leſtiam, præſertim quia, *odia ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi*; hinc eſt, vt minus malum ſit, reũ, & nocentẽ abſoluere, quàm innocentem condemnare: Bartolus in l. abſentem ff. de pœnis.

Decimò quia, ex D. Gregorio, & habetur c. Ad eius circà finem diſt. 5. Bonarum mentium eſt, ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt, ergò poteſt quis operari cum conſcientia dubia, ſeù quando dubitat in aliquo opere faciendo eſſe aliquam culpam, quæ verè non ſit.

Vndecimò quia; eſt aſſignare plures caſus, in quibus licet, non eligere partem tutiorem in dubio, ergò. Ant. probatur primò, quia cùm quis habens tenue beneficium, dubitat, An debeat recitare horas canonicas, non obligatur ad recitandum. Secundò cùm dubitatur, An in Iure ſit ſtatuta irregularitas, non debet quis ſe irregularem reputare, vt eſt definitũ in c. 15. de ſententia excom. in 6. quia niſi irregularitas ſit in Iure expreſſa, non cenſetur incurri. Tertiò, qui dubitat,

bitat, An emiſerit votum, quod eſt lex, & ius particulare, non tenetur adimplere votum, vt docet Sotus 7. de Iuſt. & Iure q.3.art.2. Quartò, qui dubitat, An teneatur obſeruare pręcepta Eccleſiæ v. g. an teneatur ieiunare, non obligatur ad illa obſeruanda, & poteſt conſeruare ſuã libertatem, & immunitatem à pręcepto jeiunandi, quia iure naturali illam libertatem poſſidet, & melior eſt conditio poſſidentis.

Duodecimò quia, ſi in dubio juris tutior pars eſſet eligenda, dubia lex poſſet, & deberet adduci pro alicuius cauſæ deciſione, vt in ea cauſa ratione dubię legis tutior pars eligenda definiretur, & tamen, vt benè habet Marcus Burgenſis in procemio legum Tauri; Lex multis modis intellecta ad deciſionem cauſę citari non debet, ergò.

Decimò tertiò quia, ex S. Antonino 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. & Nauarro in c. ſi quis autem n.34. & in Sum. c.27. n.281. habetur, quòd illa regula, *in dubijs tutior*

 pars

pars eſt eligenda, intelligitur tanquam dè conſilio,& de conuenientia,non de pręcepto, & neceſſitate; ideoquè Sanctus Antoninus loquens de Scrupuloſis ibi, ait. Solet autem impedire depoſitionem ſcrupulorum ſententia aliquarum auctoritatum non benè intellectarum, & ideò declarandę ſunt,vt illą, quæ habetur extrà de ſponſalibus, *in dubijs tutior via eſt eligenda*, propterea ſcrupuloſus eligit viam ſtrictiorem; ſed ad hoc reſpondetur, quòd eligere viam tutiorem, conſilij eſt, non præcepti.

Decimò quartò quia, licet operari cum errore, ergò à fortiori cum conſcientia dubia, & non electa parte tutiori. conſequentia tenet, quia plus mali videtur eſſe in hoc, quod eſt operari cum errore,quàm cum conſcientia dubia, & periculo erroris. Antecedens probatur quia, iuxtà textum in L. Barbarius. ff. de off. Prætoris, rectè operatur, & Iuriſdictionem accipit à Republica in rebus ſæcularibus,& ab Eccleſia in rebus Eccle-

ſiaſticis is, qui cum adeſt error communis, & titulus coloratus, imò & in ſententia nonnullorum Doctorum, nè in Republica, vel Eccleſia inconuenientia ſequantur, etiam cùm non adeſt titulus coloratus, rectè operatur, ergò etiam rectè operatur, & accipit Iurisdictionem à Republica in rebus ſæcularibus, & ab Eccleſia in rebus Eccleſiaſticis, qui operatur non electa parte tutiori.

Sed contrà eſt Dicendum. In omni dubio ſiuè iuris, ſiuè facti in foro conſcientiæ, & coram Deo tutior pars eſt eligenda.

Hanc Concluſionem defendunt in primis S. Thomas Quodlib. illo 8. art. 15. vbi ait in principio. Quicunquè ſe committit diſcrimini in his, quæ ſunt ad ſalutem, peccat: & Quodlibeto 9. art. 15. ad 4. Quicunquè committit ſe diſcrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter. & Quodlib. 3. art. 9. ad 3. Quicunquè non cauet pericula, videtur contemnere id, cuius detrimentum pericula

Digitized by Google

inducere poſſunt. Ioannes Duns Scotus in fine 2.q. Prologi ſent. habet hæc verba notabilia. *Multa in actibus humanis ſunt dubia, vtrum ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis D.D.& expoſitorum, tamen non eſt dubia via ſalutis, quia à talibus tanquam periculoſis debet homo ſibi cauere, & ſe cuſtodire, nedùm exponit ſe periculo, incidat in peccatum: quòd ſi noluerit ſalutem quærere, ſed non curando exponit ſe periculo, vbi fortè actus ex genere ſuo non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter ſe ſe periculo exponendo.* S.Antoninus 1.p.tit.3.c.10. Ille, qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam ſi illud in ſe non eſſet mortale ſumendo propriè, & ſtrictè dubitationem, videlicèt, prout rationes ſunt æquè ponderantes ad vtramquè partem, nec magis declinat quis ad vnam, quàm ad aliam. Adrianus Papa Quodlib. 2. p. 1. & in 4.qq. de Reſtit.§.dicendum ergò. Henricus in Quodlib.4.q.33. Guttierez

lib 1.

lib. 1. q. can. c. 31. n. 4. Perez certam. 10. Schol. n. 119. Sayrus lib. 1. c. 13. n. 3. & 36. Nauarrus c. *Si* quis autem de Pœnit. il. 2. diſt. 7. n. 51. Gerſon in Reg. Mor. & 3. p. lib. 4. de Conſolat. Theol. proſa 2. Alphab. 56. Syluester V. confeſſor. q. 10. & V. dubium. §. 1. Roſella V. dubium in fine. Azorius tom. 1. lib. 2. c. 19. q. 13. Medina 1. 2. q. 19. art. 7. dub. 4. Beia p. 2. caſn 3. Angelus v. dubium, & v. opinio. Tabiena q. 1 n. 2. Aragonia 2. 2. q. 63. Caietanus tom. 1. opuſc. 31. reſp. 13. dub. 7. Medina q. 19. art. 16. Valentia diſp. 2. q. 14. p. 4. Vaſq. diſp. 65. c. 1. Maior in 4. q. 1. Prologi. Almainus tract. 1. Moral. c. 5. Corduba lib. 3. q. 4. Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. ſect. 16. vbi dicit, hanc eſſe communem, & Perez loco cit. eſſe omnium Theologorum. explicatur autem, quia

Dixi in primis, *In omni dubio ſiuè iuris, ſiuè facti*, quia nimirùm duplex diſtinguitur dubium communiter à D. D. dubium iuris, & dubium facti; dubium iuris eſt, quando dubitamus de iuris, ſeù

Digitized by Google

legis interpretatione; dubium facti eſt, quando dubitamus, vel de re aliqua faciendâ, vel de iure, & lege ipſa, *An exiſtat*, nonnulli appellant dubium iuris materiale, ſicut dubium de legis interpretatione, appellant dubium iuris formale.

Dixi Secundò, *In foro conſcientiæ, & coram Deo*, quia in foro iuſtitiæ commutatiuæ currit regula, *melior eſt conditio poſſidentis*, & *Beati, qui poſſident*, quia, nimirum, poſſidere propriè dicitur de rebus immobilibus, eo quòd eius pedibus quis inſiſtat, vnde à planta venit iſta poſſeſſio, ità Nicolaus Nebriſſen. in ſuo Vocab. vtriusquè Iuris v. Poſſideri; hinc eſt, vt in alijs materijs, & rebus terminus poſſeſſio non adhibeatur, niſi impropriè, & per quandam accommodationem, ſeù translationem, ſicut dicitur, Prata rident, & homo pictus.

Dixi Tertiò. *Pars tutior*, non quidem comparatiuè, quaſi oppoſita ſit tuta, ſed aduerſatiuè, quia oppoſita non eſt tuta, & expers periculi. Dixi etiam, *tutior*, quia illa

Digitized by Google

illa eſt pars tutior, in qua, aut nullum peccatum eſſe poteſt, aut propter vitandum maius, minus eligitur, cùm aliàs neceſſarium eſſet in alterutrum incidere, vt habetur in c. Duo mala diſt. 13. & in Concil. Toletano VIII. in c. Nerui teſticulorum eadem diſt. demum apud D. Gregorium lib. 32. Moralium c. 18. Sic explicata Concluſio, & his auctoritatibus firmata

Probatur Primò ex Scriptura; ex illo D. Pauli epiſt. ad Rom. c. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; vbi per fidem communiter D.D. literaliter intelligunt conſcientiam; & explicant, quòd non ſolùm eſt peccatum omne id, quod eſt contrà conſcientiam, & contrà fidem, ſed etiam, quod non eſt ex conſcientia, & fide; hoc eſt ex aſſenſu credulitatis, quòd illud ſit licitum, prudentia enim, (ſinè qua non datur operatio honeſta, & licita, vt eſt in confeſſo,) conſiſtit in iudicio mentis definientis, quid hìc, & nunc licitè fiat, ſed qui in dubio non ſequitur

partem

Digitized by Google

partem tutiorem, non poteſt ſe certificare,& apud ſe definire, id quod agit, eſſe hìc,& nunc licitum, & honeſtum, quod enim eſt minus tutum,ſeù non tutum,vel eſt peccatum,vel eſt in proximo periculo peccati,atquè adeò operis illiciti, & non honeſti, ergò. Hinc Origenes,Anſelmus, & Aymon in illum locum Pauli damnãt infirmos in fide,qui credentes cibos aliquos eſſe prohibitos, & de hoc dubitantes, adhùc ab alijs non abſtinebant, nec partem tutiorem, quæ erat abſtinere,eligebant.

Deindè ex illo Eccleſiaſtis 3. *Qui amat periculum,peribit in illo*, habetur iure diuino naturali prohiberi, nè homo ſe exponat periculo diuinæ offenſę,& æternæ perditionis; & hæc eſt ratio,ob quam tenetur homo vitare occaſionem proximam peccandi, quamuis valdè difficilè ſit definire, quænam ſit occaſio proxima peccandi, vt putereà Nauarrus in Man. c.3.n.10. dixerit, malle ſe audire alium optimè reſpondentem, quàm reſpondere inter-

interroganti, quænam ſit occaſio proxima; ſed qui negligeret ſequi partem tutiorem in dubio, exponeret ſe periculo proximo peccandi, quia iam ſequeretur partem non tutam, atquè adeò expoſitam peccati proximo periculo, ergò: Hinc elicitur ratio fundamentalis, & radicalis, cur non liceat operari cum conſcientia ancipiti prorſus, & dubia, quia tunc quis ſe exponit manifeſto, & proximo periculo peccandi, & operandi, non ſolùm offendendo Deum, ſed rationem ipſam, ſeù naturam ipſam rationalem. hinc olim Tullius ſolo lumine naturali illuſtratus lib. 1. Officiorum dixit; *Benè præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum ſit, vel iniquum*; Hìc à fortiori vrgent, & militant omnes illæ rationes, quas Lectione ſuperiori adduximus ad probandum, non licere vti opinione probabili relicta probabiliori, nam ſi quando quis mouetur ratione aliqua probabili, ſeù probabiliter exiſtimat, & ſibi perſuadet, obiectum eſſe licitum, & ho-

honeſtum, non benè operatur, à fortiori, quando prorſus dubius eſt, & anceps, An ſit licitum, & honeſtum obiectum, quod amplectitur, non benè, ſed malè operatur. Hinc Thomas del Bene Vir apprimè doctus, & eruditus, licèt cum Probabiliſtis ſentiat, licitum eſſe vti opinione probabili, negat tamen apertiſſimè, licitum eſſe operari cum conſcientia prorſus ancipiti, & dubia. Ità priori parte de off. S. Inquiſit. dubit. 192. V. obiectiones n. 3.

Præterea, vt dicitur in materia de Merito; ad hoc vt actus ſit bonus, debet eſſe poſitiuè intenta honeſtas obiecti; è contrà ad hoc vt actus ſit malus, ſatis eſt indirecta intentio talis malitiæ; at reuerà indirectè intenditur malitia obiecti, quãdo quis obiectum amplectitur, & non eſt priùs certificatus de eius bonitate, & honeſtate; ergò.

Demum quia, in communi hominum exiſtimatione, qui facit aliquid dubius, An ſit contrà voluntatem amici, facit contrà le-

legem amicitię, & plus videtur diligere illum, cuius gratia id facit, quàm amicũ, de quo dubitat, An illud ei placere poſſit, ergò qui facit aliquid cum dubio, An aliquid ſit peccatum, & propterea ſit contrà voluntatem Dei, contrà legem amicitiæ erga Deum facit, & plus videtur diligere illum, cuius gratia illud facit, quàm Deum, contrà quem dubitat illud eſse.

Probatur Secundò principaliter Concluſio veluti à priori, quia vnusquisquè tenetur prȩferre bonum publicum bono priuato, ergò in dubio, An bonum priuatum libertatis præualeat bono certæ obſeruationis legum, debet hoc ſecundum prȩferre, leges enim ſunt inſtitutæ propter bonum publicum, aliàs non eſſent leges, vt habetur Authentica Res, quæ c. cõmunia de legatis, & Plato lib. 4. de legibus, eum, dixit, ſolùm rectè leges ferre exiſtimo, qui velut ſagittarius illùc ſemper animum intendit, vndè ſemper aliquid eorum ſequatur, quȩ bona ſunt. cætera

Digitized by Google

tera verò relinquit, ſiuè diuitias, ſiuè aliquid huiuſmodi. hinc mos erat apud Locrenſes, vt legem laturus priùs collum laqueo inſereret, & legem poſteà pronunciaret, acclamatione populi honorandus, ſi tuliſſet bono publico accomodam, ſin minùs, laqueo conſtricto ſuffocandus.

Nequè dicas; leges eſſe inſtitutas propter bonum publicum, quando bonum publicum diſtinctum à priuato eſt maius,& quia quilibet priuatus homo eſt pars Reipublicæ, & tale malum cuiusquè priuati eſt aliquo modo malum Reipublicæ, & tale malum, quod vnusquisquè ex priuata caritate poteſt licitè magis vitare, quàm æquale malum illius partis Reipublicę, quæ ab ipſo operante diſtinguitur.

Nequè,inquam, hæc dicas,& reſpondeas, quia malum illius partis Reipublicæ, quę eſt diſtincta à priuato, non eſt æquale,vt ſupponitur, ſed maior, quia plus ſunt cæteri homines, qui remanent

quàm

Digitized by Google

quàm ille vnus; non eſt comparatio inter vnum, & vnum, ſed inter vnum, & plures; imò data hac Reſponſione non poſſet aſſignari caſus, in quo bonũ publicum eſſet præferendum priuato, quia non poſset aſſignari caſus, in quo malum Reipublicæ eſſet maius, ſemper enim in malo Reipublicæ includitur malum priuati, qui eſt pars Reipublicæ; ergò debet quis bonum priuatum propriæ libertatis poſtponere bono publico obſeruantiæ lêgum, & hoc illi anteferre; Addito prçſertim, quòd, vt Ioannes Pontanus lib. 4. de obed. benè olim dixit, vera libertas eſt, ſeruare leges, tueri jura, eaquè agere, atquè afferre in medium, quæ ad tuendam, confirmandamquè hominum coniunctionem quàm maximè conferat:

Probatur Tertiò principaliter, quia hæc eſt regula ſæpius inculcata, & repetita per ſacros canones, quos Leo magnus alta voce prædicat eſſe ſpiritu Dei conditos, totius mundi reuerentia conſecratos, & vſquè ad ſæculi finem in e-

lecto-

lectorum cordibus permanſuros; refert Lupus in Scholijs ad Lectorem; & vt habetur c.ſi omnes diſt. 19. Leges Apoſtolicæ, quæ ſunt ſacri canones, ſeruandæ ſunt, vt leges Petri. Vide Gloſs. ad c. Palam diſt. XI.

Primò igitur c. Ad audientiam de homicidio, habetur. Quia verò, etiam ex occaſione vulneris, deceſſiſſet, dubium habetur, cùm in dubijs ſemitam debeamus eligere tutiorem, nos conuenit iniungere præsbytero memorato, vt in ſacris ordinibus non miniſtret. Secundò in c. ſignificaſti il. 2. eodem tit. Quòd ſi diſcerni non poſſit, ex cuius ictu percusſus interijt, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, & ſi fortè homicida non ſit, à Sacerdotali officio abſtinere debet, cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temerè celebrare. 3. in c. Iuuenis de ſponſalibus. In his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus. 4. in c. ſi quis de Pœnit. diſt. 7. ex D. Auguſtino. Vis ergò à dubio

Digitized by Google

bio liberari; vis, quod incertum eſt, euadere; age pœnitentiam, dùm ſanus es. 5. eodem c. ſi quis. Duæ res ſunt, aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur; quid horum tibi futurum ſit, neſcio, ergò tene certum, & dimitte incertum. *6.* in c. Illud de Cler. excom. miniſt. deciditur; de rigore deponendum eſſe Epiſcopum, qui in dubio tutiorem partem non elegerat, ergò non de conuenientia, & conſilio, ſed de neceſſitate, & præcepto tutior eſt via amplectenda per ſacros Canones.

Probatur Quartò Concluſio Inductione diſcurrendo per varios caſus, in quibus in dubio tutior pars neceſsariò eſt eligenda; &

Primò quidem in dubio quò ad ea, quæ ſunt fidei, ea pars eſt eligenda, quæ à certiſſimo Eccleſiæ Catholicæ iudicio approbatur. ità habetur c. Palam. diſt. XI. Palam eſt, in re dubia ad fidem valeat auctoritas Eccleſiæ Catholicæ, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum vſquè ad hodiernum diem ſucce-

dentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. D. Auguſtinus epiſt. 165. Donatiſtas in dubio, ſeù controuerſia de rebaptizandis hæreticis prouocat ad certiſſimum Eccleſiæ Catholicę iudicium. Vide Sylueſtrum in Sum. V. dubium. q. 5. Concilium Colonienſe II. p. 6. c. 14. In dubijs tutius eſt tenere, quod tenet Eccleſia, quàm aſſeuerare, de quo dubitatur, aut quod non intelligitur.

Secundò in dubio quòad materias Sacramentorum, docet Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 26. ſect. 6. n. 2. eſſe graue peccatum, vti voluntariè materia, vel forma dubia, ſcilicèt, propter periculum, quod indè reſultat circà valorem Sacramenti, ideò in tali dubio certiorem, & tutiorem partem eſſe eligendam, & ſequendam. Scotus in 4. diſt. 3. q. 2. Vniuerſaliter in omnibus dubijs quantum ad materiam, & formam omnium Sacramentorum, tradit tres generales Maximas, ſeù Regulas.

Pri-

Digitized by Google

Prima eſt, ſi poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda. Secunda; ſi non adeſt poſſibilitas, viæ tutiſſimæ proxima eſt tenenda. Tertia; ceſſante impoſſibilitate cautè eſſe ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat.

Pariter Suarez loco cit. quærens, An liceat Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare cùm Iurisdictione delegata, dubia tamen; tradit regulam generalem, & certam; nunquam licere, hoc miniſterio vti cum tali dubio, quia aliàs homo ſe exponeret periculo ſacrilegij, efficiendo Sacramentum nullum, & ſic miniſtrando cum hoc, exponit ſe periculo nihil faciendi, ergò ſi id faciat ſinè neceſſitate, temerè, & imprudenter facit, & ſic grauiter peccat. Dixi, ſi id faciat ſinè neceſſitate, quia propter neceſſitatem occurrentem ſæpè licet dare Sacramentum in caſu dubio, ſub conditione expreſsa, vel concepta, *ſi poſſum*, vel *ſi indiges*. aut alia proportionata, quando enim vrget neceſſitas, & miniſtratur Sacramentum ſub

conditione in caſu dubio, tollitur omnis inordinatio ; nam neceſſitas facit, vt actus non temerè fiat, nec ex mera,& irrationabili voluntate ; conditio verò tollit periculum inualiditatis Sacramenti, nam ſi in re ſubſiſtat, infallibiliter fit Sacramentum ; ſi verò non ſubſiſtat, nulla fit iniuria Sacramento, quia conditio nihil ponit in eſſe.

In confectione Sacramenti Euchariſtiæ, non vtentem materia certa, ſed dubia, ideſt, materia, de qua dubitet, An ſit apta,& idonea, mortaliter peccare, atquè adeò omninò requiri, quòd quis habeat certam,& tutam materiam, docet Scotus in 4. d. XI. q. 6. en verba : Cùm certum ſit, farinam tritici purgatam ſecundùm communem purgationem eo modo, ſcilicèt, quo piſtores ſolent eam purgare, eſſe materiam ſufficientem ad faciendum panem conſecrabilem, & dubium ſit, An amidum ſit huiuſmodi, ſententia,& pars negatiua multò ſit probabilior, non ſinè peccato quis ſe exponit tali periculo. ergò

gò ſi in dubio de materia non licèt ſequi opinionem probabilem, ſed ſequendam eſſe probabiliorem inſinuat Scotus hìc cit. verbis, à fortiori, ſi nulla ſit ratio probabilis, quæ te ad partem minùs tutam inclinet, ſed ſis merè dubius, non potes ſequi abſquè peccato partem minùs tutam, ſeù veriùs, non tutam. Imò Suarez licèt generatim defendat, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, in materia tamen de Iurisdictione requiſita eſſentialiter in miniſtro conferente Sacramentum Pœnitentiæ loco cit. n. 5. negat ſufficere opinionem probabilem de iurisdictione, ad hoc vt quis licitè, & ſinè peccato adminiſtret, & rationem reddit, quia probabilitas opinionis non tollit ipſius rei incertitudinem, nam vera Iurisdictio in re ipſa exiſtens, eſt de neceſſitate Sacramenti; ergò quoties eſt incerta, & dubia iuris dictio, incertum manet in re Sacramentum, ergò non licet, hoc modo illud miniſtrare non obſtante opinione probabili.

Digitized by Google

In dubio Matrimonij, videlicèt, An propter aliquod impedimentum conſanguinitatis, vel alterius criminis, quis dubitat de validitate matrimonij à ſe contracti, non poteſt petere debitum, licèt poſſit reddere. ità S. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 9. Angelus V. Matrimonium 3. impedimento 18. n. 4. Sylueſter V. Matrimonium q. 8. Armilla V. Matrimonium n. 45. alijquè Summiſtæ: & Ratio redditur, quia tutiùs eſt, non petere, quàm petere, quia non petendo, nullum committitur peccatum, at petendo, incurritur periculum peccati: tutius quoq; eſt, reddere, quàm non reddere, quia minus malum eſt, reddere; nam reddendo coniux dubius ſe exponit duntaxat periculo incontinentiæ contrà caſtitatem, at non reddendo, exponit ſe periculo iniuſtitiæ contrà ius matrimonij, quod in tali caſu violaret, & quod eſt maius; peccatum enim iniuſtitiæ eſt maius, quàm peccatum luxuriæ, quia maior virtus eſt iuſtitia, quàm temperantia, ſub qua continetur caſti-

caſtitas, cæterùm ex oppoſitione peccatorum cum virtute ſumitur eorum grauitas, vt docet S. Thomas 1.2. q. 72. art. 4. ideò autem præſtantior, & excellentior eſt virtus iuſtitia, quàm temperantia, quia illa nos ordinat ad alium, hæc verò ordinat nos ad nosmet ipſos, vt idem docet 2.2. q. 58. art. 12. imò excepta Religione nobilior eſt iuſtitia cæteris quoquè virtutibus omnibus. eſto, quòd ob maiorem turpitudinem, quæ eſt in luxuria, videatur illa eſſe maius peccatum, reipſa tamen, quia grauitas peccati deſumitur ex oppoſitione ad excellentiorem virtutem, iniuſtitia maius eſt peccatum, quàm luxuria.

Similiter, ſi eſſet dubium de validitate matrimonij, in quantum mors prioris coniugis eſt dubia; coniux dubius deberet reddere debitum petenti, ſed non petere, quia maior eſſet iniuſtitia non reddere debitum ſecundo coniugi, qui poſſidet, quàm priori, qui non poſſidet, valeret enim in iſto caſu regula, melior

eſt conditio poſſidentis, & videtur eſſe decíſum c. Dominus de ſecundis nuptijs, & ſequuntur Vaſq. in 1.2.diſp.65.c.1.& alij. Sotus verò in 4.diſt.27.q.1.art.3.& 4. de Iuſtitia,& Iure q.5.art.4. Frater à Veracruce in ſpeculo coniugiorum 3. p. art.13. defendunt, quòd coniux dubius antè ſufficientem inquiſitionem poteſt quidem reddere, & non petere, at facta ſufficienti inquiſitione,& examine, ſi adhùc remaneat dubius, & matrimonium bona fide contraxerit, poſſet petere, & reddere, quia in hoc caſu valeret regula, melior eſt conditio poſſidentis; At quia per dubium bona fides excluditur, vt docent Comitolus, & Ioann. Medina locis infrà citandis, ideò ſtandum eſt noſtræ regulæ, & melior, ſeù tutior pars eligenda, vt coniux dubius reddat, & non petat.

Pariter ſi matrimonium ſit contractũ, & non conſummatum, ſed antè conſummationem incidat dubium de impedimento, coniux dubius non poteſt reddere

dere debitum toto bimeſtri conceſſo à Iure, vt poſſit vterquè coniux deliberare, An velint in matrimonio perſeuerare, an ad Religionem tranſire; ratio eſt, quia toto illo tempore liber eſt, ergò cum poſſit negare, negare debet, quia tunc nulli ſe exponit periculo, exponeret autem ſe periculo incontinentiæ, ſi redderet, atquè adeò peccati periculo, non eligendo tutiorem partem. interim toto illo tempore inquirere debet de impedimento, vt certior factus petat, & reddat; quòd ſi adhùc dubius remaneat, debet monere alterum coniugem de impedimento, & non illum detinere in perpetuo dubio.

Demùm ſi vterquè coniux eſſet dubius de impedimento, tunc nullus coniux poſſet petere, quia nullus haberet ius petendi, atquè adeò qui dubitanti, & petenti negaret debitum, nullam illi faceret iniuriam, & ideò negare debet, nam ſi redderet, exponeret ſe periculo incontinentiæ, & negando, nulli ſe periculo exponit.

Digitized by Google

ponit; excipitur tamen caſus, ſi dubium eſſet de impedimento frigiditatis, aut maleficij; quia in tali dubio licitũ eſt perſeuerare in matrimonio ad inquirendum de tali impedimento, at tale impedimentum inquiri non poteſt, niſi per eius vſum; ideò in tali caſu licet petere, & reddere ad deprehendendum experientia tale impedimentum.

Tertiò, In dubio rei poſſeſſæ, quando quis dubitat, An res, quam poſſidet, ad ſuum nè, vel ad alterius dominium pertineat, tenetur ad reſtitutionem, quia nimirum reſtituendo nullum peccatum committit, nec exponitur periculo peccati, cui tamen exponeretur, ſi non reſtitueret, & retineret, ità docuit Alexander de Ales in 4. p. ſummæ memb. 5. art. 3. §. 4. Adrianus Papa in qq. de reſtit. 9. Aggredior caſus. eius verba formalia ſunt; Si verò leſam habuerint conſcientiam, non ſolùm per iudicium de iniuſtitia belli, ſed etiam per ſolum dubium, non poſſunt permanente illa con-

conſcientiæ lęſione ſalui fieri non reſtituendo, quemadmodum nec is, qui dubius eſt de validitate matrimonij, & exigit coniugale debitum c. Dominus de 2. Nuptijs, & c. Inquiſitioni de ſent. excom. & paucis interiectis; ſi ſtante dubio velit retinere quòad vsquè inquirendo poſſit de tali dubio certiorari, vbi certioratus, & certior reddi non poſsit, intendat reſtituere, ſed ſi animo ſimpliciter retinendi, iam peccat, etiamſi ſuum ſit. Confirmat Paulus Comitolus in ſuis Resp. Mor. lib. 2. q. 18. & Ioannes Medina Cod. de rebus reſtituendis q. 22. art. v. ad 6. rationem. Quia in dubio. An quis poſsit retinere acquiſita per ludū, tenetur reſtituere, quia non eſt poſſeſſor bonæ fidei, nam bona fides dubium omne excludit. Non me latet, aliquos D.D. eſſe in contrarium, ſed an meritò, & ſolido fundamento innitantur, ipſi videant.

Quartò. In dubio circà legitimam,

aut

aut illegitimam conditionem filij; & quidem communis ſententia eſt, filium eſſe cenſendum legitimum, non illegitimum; & pariter, ſi dubitaretur, An eſſet ſpurius, vel naturalis, cenſeri deberet naturalis, & id non ob aliam rationem, niſi quia in dubio nemo debet condemnari, qui enim in dubio condemnaret aliquem, peccaret. Vide Vaſq. hìc diſp. 65.c.7. & S.Thomam 2.2. q. 60. art. 4. At dices; quando cenſetur filius legitimus, & naturalis admittitur ad partem hæreditatis in præiudicium aliorum fratrum legitimorum, & actu poſsidentiũ, quorum propterea potior eſt ratio, cùm in dubio in materia iuſtitiæ, potior ſit ratio poſsidentis, in qua materia huiusmodi regulam inuiolabiliter valere, concedunt omnes, ergò non poſſet absquè periculo peccati à quopiam cenſeri dubiè illegitimus pro legitimo, & dubiè ſpurius pro naturali.

Reſp. In tali caſu illam regulam, potior eſt ratio poſsidentis, elidi per hanc alte-

alteram c. cùm ſunt de Reg. Iur. in 6. cùm ſunt partium iura obſcura, reo magis eſt fauendum, quàm actori, & ideò absq; vllo ſcrupulo poteſt filius in aſſignato caſu cenſeri legitimus, & non illegitimus, naturalis, & non ſpurius; addito pręſertim, quòd apud D. D. communiter, in dubio præſumendum eſt id, quod eſt honeſtius, aut minus inhoneſtum, quia ſic quis non peccat, nec ſe exponit periculo peccati, habendo bonam opinionem, ſecùs ſi aliter cenſeret, vt ſuprà notauimus ex D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 4.

Quintò. In dubio, An ſubditus debeat obedire ſuo ſuperiori, ſeruanda eſt noſtra regula, tutior pars eſt eligenda cum D. Bonauentura in 3. diſt. 39. art. 1. q. 3. ad vltimum. Paludano q. 4. n. 8. Sylueſtro v. Bellum q. 1. Angelo V. obedientia n. 6. Soto in opuſc. de tegendo ſecreto membro 3. q. 2. in omni dubio parendum eſſe ſuperiori, præterquam in caſu, quo ſuperior ſit Iudex, & interroget ſubditum de crimine occulto; nam tutius

tius eſt obedire, quàm non obedire, quia in obediendo nullum eſt peccatum; ſecus in non obediendo, & licèt ſecundùm intrinſeca principia, ideſt, rationes proprias rei præceptæ poſſit ſubditus iudicare, & iudicando dubitare, An ſit licitum id, quod à ſuperiore præcipitur, tamen ſecundum principia extrinſeca poteſt tale dubium facilè deponere; Principia autem extrinſeca ſunt auctoritas, & doctrina ipſius Superioris, quando ſcientia, doctrina, & prudentia maxima polleat, aut etiam auctoritas D. D. quos ipſe ſequitur, maxima ſit; quæ doctrina à fortiori tenet in ſubdito rudi, & idiota, qui neſciat de præcepto ſuperioris diiudicare.

Hinc primò infertur, ſubditum vocatum ad bellum à ſuo Principe, teneri obedire, & non teneri, examinare, An bellum ſit iuſtum, nec nè, vt docet S. Auguſtinus in terminis lib. 22. contrà Fauſtum c. 74. 75. ergò vir iuſtus, ſi fortè ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, rectè

poteſt

Digitized by Google

poteſt illo iubente bellare, ſi vice pacis ordinem ſeruans, quod ſibi iubetur, vel non eſſe contrà Dei præceptum, certum eſt, vel vtrum ſit, certum non eſt, & refertur c. Quod culpatur diſt. 23. q. 1.

Secundò infertur; Religioſum, niſi præceptum Superioris ſit manifeſtè illicitum, & iniuſtum, in dubio teneri obedire abſquè examine, in hac enim re valet doctrina communis S.S. P.P. & Magiſtrorum vitæ ſpiritualis de obedientia cæca; & Ratio eſt, quia ſtante dubio de iuſtitia, vel iniuſtitia præcepti, obedire caret periculo peccati, ſecus, non obedire; & hæc ſanè doctrina valdè conducit ad ſeruandam tàm in Religioſis Ordinibus, quàm in Republica quacunquè debitam ſubordinationem inferiorum ad ſuperiores, pacem, atquè concordiam inter homines religioſos, & vnius Reipublicæ ciues, quæ ſanè pax, & concordia eſt & Religionum, & Rerumpublicarum maximum bonum, concordia enim res paruæ creſcunt, diſcordia vel maximæ dilabuntur. Sep-

Digitized by Google

Septimò. In dubio, An quis teneatur obſeruare præcepta Eccleſiæ v.g. An teneatur ieiunare, non debet ſe tueri illo axiomate, melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, & non ieiunare, ſed debet Eccleſiam conſulere, vt docent omnes D.D. per Comitolum lib. 2. q. 18. n. 3. Pariter in dubio Voti, debet petere diſpenſationem, nec poteſt, aut debet illo ſe axiomate tueri, vt docent Gabriel in 4. d. 38. q. 1. art. 5. Nau. p. Vol. Conſ. lib. 3. de Voto, & Voti Redempt. conſ. 18. apud Comitolum loco cit.

Octauò. In dubio, An cauſa defendenda ab Aduocato ſit iuſta, vel iniuſta s non quidem ſi adſit opinio probabi li; de iuſtitia cauſæ, quia in tali caſu inſiſto doctrinæ ſuprà traditæ de Iudice, Chirurgo, Medico, & miniſtro Sacramentorum, nimirùm, ſequendam eſſe opinionem probabiliorem, ſed quando Aduocatus eſt prorſus anceps, ſuſpenſus, & dubius de iuſtitia cauſæ defendendæ in quantum vtrinquè apparent rationes æquè proba-

Digitized by Google

probabilis, dico, quòd talis cauſa poteſt ab Aduocato tutò defendi, ità S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 19. §. 7. Angelus v. Aduocatus n. 17. Sylueſter v. Aduoc. q. 10. Armilla v. Aduoc. n. 20. Nauarrus in Sum. c. 25. n. 25. Addit Vaſquez, & benè; hanc limitationem; dummodo tamen non decipiat clientem ſuum certiùs illi promittendo ſententiam, quàm debeat, ſed aperiat veritatem. ità diſp. 64. c. 1. n. 3. & Ratio huius meæ doctrinæ principalis eſt, quia Aduocatus ità dubius patrocinando non committit ſe periculo peccandi, quia officium Aduocati non eſt, rem definire tradendo vni id, quod petitur, & alteri auferendo, ſed proponere ſincerè fundamenta iuris, & facti, tùm rationes, quæ cauſam ſui clientis fouere poſſunt, vt Iudex videat, & expendat, iisquè benè conſideratis ſententiam ferat, & cauſam definiat, poteſt enim accidere, vt quod Aduocato videtur dubium ex pari vtrinquè probabilitate, iudici appareat fauorabile clienti, & litiganti,

Digitized by Google

ſicut autem quicunquè ex litigantibus poteſt pro ſua parte abſquè peccato, ſeù peccati pèriculo proponere ea omnia, quæ ſuæ causæ fauere poſſunt, eadem ratione poterit Aduocatus ea proponere, quia in hoc nullum eſt peccatum, aut peccati periculum.

Nonò. In dubio, An Iudex poſſit ſententiam pronunciare in cauſa dubia, videlicèt, ſi dubius ſit Iudex, An debeat condemnare, an abſoluere reum iuxtà allegata, & probata; cohærenter ad noſtra principia, & ad datam regulam, dico, quòd Iudex debet tutiorem partem eligere, illam, ſcilicèt, in qua non ſit peccatum, aut peccati periculum; nam ſi cùm probabilior apparuerit, vna pars præ altera facto diligenti examine, probabilior eſt eligenda, vt diximus Lectione ſuperiori, vt ex Probabiliſtis docet Vaſq diſp. 64. c. 2. n. 6. à fortiori, quando ſit dubius, & anceps; nec debet leuibus inditijs, ſeù ſuſpitionibus in alteram partem inclinando judicare, quia tunc eſſet iudi-

iudicium temerarium, vt docet Sylueſter v. iudicium. n. 5. & habetur c. primo ſemper 2. q. 1. & docet S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. vbi S. Doctor aſſignat tres gradus in iudicio ex leuibus inditijs; primus eſt, cùm quis ex leuibus, & inſufficientibus inditijs, ſeù ſuſpitionibus dubitat de bonitate, vel malitia alicuius, & hoc eſt leue, & veniale peccatum. Secundus cùm pro certo malitia creditur, & in hoc in re notabili, eſt mortale peccatum, quia proximus contemnitur, ſcilicèt, iniuſtè, & notabiliter. Tertius cùm proceditur exteriùs ad ſententiandum ſecundùm talia ſigna, & hoc ſimiliter eſt mortale. ſi ergò dubius ſit Iudex, An condemnet, An abſoluat, abſoluere potiùs debet, quàm condemnare, quia abſoluendo non contemnit proximũ, & ſic non peccat, nec ſe exponit periculo peccati; ſecùs, ſi condemnaret.

Decimò. In dubio belli, nimirùm, ſi Rex aliquis, aut Princeps dubitet de iure regni, quod legitimè poſſidet alius Rex,

aut Princeps, non poteſt armis aggredi, bellum inferendo, Regnum ab alio Rege, ſeù Principe poſſeſſum, maximè ſi tale Regnum eſſet poſſeſſione longi temporis præſcriptum, vt etiam diximus ſuprà in Reſp. ad XV. Argum. ex Villalobos loco ibi cit. Vaſq. diſp. 64. c. 3. n. 11. Victoria in Relect. de Iure belli, quæ eſt poſterior de Indis Inſulanis n. 27. & ſeq. Ratio eſt, quia inferendo bellum, & armis aggrediendo peccaret, ſeù exponeret ſe periculo peccati iniuſtitię, ſpoliando poſſeſſorem legitimum re ſua. Quòd ſi nullus Rex, in quo vigeret lis, eſſet in poſſeſſione Regni, & dubium eſſet, ad quẽ pertineret, regnum eſſet diuidendum, & non poſſet alter totum regnum armis occupare, ſicut quando inter priuatas perſonas res aliqua eſt dubij juris, res eſt diuidenda, & aliàs iniuſtum eſſet bellum, totum regnum armis occupare. Quòd ſi Rex dubitet de iure regni, quod poſſidet, debet examinare cauſam, rationes oppoſitæ partis audire, vt ſi poſſit aliquid certum

tum

tum inuenire ſecundùm illud iuſtam ſententiam ferat, quia in proprijs cauſis Principes judices ſunt; quòd ſi rationibus examinatis vtriusquè partis, Princeps adhuc dubius remaneat, ſi poſſideat, non debet ſe regno ſpoliare, quia tunc valet regula, in dubio melior eſt conditio poſsidentis.

Vndecimò; In dubio quòad curationes; Vtrùm, videlicèt, Medicus poſsit applicare remedium dubium, ideſt, remedium, de quo dubitat, An ſit profuturum, vel nociturum; & non poſſe medicum huiusmodi remedium applicare; docent Angelus in Sum. V. Medicus, Syluester ibidem q.2. Armilla ibidem. n.1. & ducuntur toties inculcata regula, quia in dubio tutior pars eſt eligenda, tutior autem pars eſt, Deo, & omnipotentiæ ipſius relinquere ægrotum in periculo naturali, quàm ipſum exponere nouo periculo medicamenti. Poteſt confirmari ex Nauarro in c. ſi quis de Pœnit. diſt. 7. n. 58; vbi docet, Medicum

care, qui tribuit vinum ægroto exiſtimans illud magis nociturum, quàm profuturum, quia eligeret in dubio partem minus tutam; & quòd ſit pars minus tuta, patet, quia minus tutum eſt, exponere ægrotum nouo periculo, quàm relinquere illum in periculo naturali, quãdo certum remedium non ſuppetit.

Verùm Angelus, & Syluester docent, aliter eſſe ſentiendum, ſi medicus non ſit dubius omninò de effectu medicamenti, ſed aliquibus rationibus in eam partẽ abducatur, vt credat potiùs profuturũ, quàm nociturũ; & ſic eſt intelligendum commune dictum, extremis malis extrema remedia eſſe adhibenda, ideſt, periculoſa, & fallacia, quæ tamen aliqua non careant probabilitate. Ità Vaſquez diſp. 49. c. 4. Merolla tom. 1. diſp. 3. c. 4. coroll. 5. n. 198. quia caritas exigit, vt indigenti remedio certiori, quo poſſumus, ſuccurramus: nouiſſimè Buſembaus in Medulla Theol. lib. VI. dub. XI. docet, quando certum aliquod eſt pharmacum,

cum,

cum, quod, nimirum, certò infirmis profuturum eſt, tenentur Medici illud adhibere omiſſo eo, de quo dubitatur, quia aliàs proximum imprudenter in periculo relinqueret; quòd ſi non ſint certa pharmaca, debent adhibere probabiliora, & tutiora, quia alioquin ſalutem proximi in diſcrimen adducerent, atquè adeò non poſsent à peccato excuſari.

Duodecimò. In dubio, An quis ſoluerit debitum, & aliàs certus eſt de debito, tenetur ſoluere. ità Buſembaus in Medulla Theol. lib. 1. tract. 1. c. 2. n. 8. & adducit pro ſe Suarez, Vaſq. Lugo, & Dianã p. 2. tom. 6. miſcell. reſolut. 59. niſi etiam creditor dubitet, tunc enim Tannerus in 1. 2. diſp. 2. q. 6. dub. 4. putat, non teneri, quod Layman lib. 1. tom. 1. c. 6. ità limitat, vt teneatur non ad integram ſolutionem, ſed ad partem eius pro qualitate dubij; & ratio vniuerſalis eſt, dicta regula de in dubio ſequenda parte tutiori.

Ad I. Reſp. Axiomata illa, quòd Poſ-

Digitized by Google

ſeſſor manuteneri debeat in poſſeſsione, quod in pari delicto, vel cauſa melior, ſeù potior ſit ratio poſsidentis, valent in materia iuſtitiæ commutatiuæ tantùm, & quòd debeant applicari rei corporeæ, & materiali, ſiuè immobili, vt fundi, domus, ſiuè mobili, vt libro, gladio, veſtibus, hæ enim res dicuntur poſsideri, & quis dicitur in harum rerum tantum poſſeſsione manutenendus, & poſsidentis res huiusmodi rationes eſſe meliores, & potiores, vt fusè mox oſtendã, conſequenter malè illa applicari præcepto, voto, excommunicationi, quare haud benè diſcurrunt, qui dicunt; In dubio, An quis voto ſatisfecerit, tenetur ſatisfacere, quia votum eſt in poſſeſsione. In dubio, An quis horas legerit, tenetur legere, quia præceptum legendi eſt in poſſeſsione. In dubio, An Lex vigeat, vel ſit abrogata, tenetur dubitans ea lege, quia poſſeſsio ſtat pro lege. In dubio, An ſententia excommunicationis ſit iuſta; aut ſit lata cum intentione eam ferendi, aut ſeruato modo pro-

procedendi, vel vtrum excommunicatio ablata ſit per abſolutionem; vel etiam ſuperior iam exiſtens in poſſeſſione excommunicandi, poteſtatem habeat excommunicandi, poſſeſſio ſtat pro excommunicatione; malè, inquam, voto, præcepto, legi, excommunicationi applicatur illa regula, melior eſt conditio poſſidentis, nec benè dicuntur Votum, præceptum, lex, excõmunicatio eſſe in poſſeſsione; fateor quidem; In dubio, An quis ſatisfecerit voto, teneri ſatisfacere; An legerit horas, teneri ad legendum. An lex ſit abrogata, teneri lege, An excommunicatio ſit iniuſta, teneri illum excommunicatione, non quia poſſeſsio ſtet pro præcepto, voto, lege, excommunicatione, ſed quia in dubio tutior pars eſt eligenda; qui enim voto ſatisfacit, legit horas, ſeruat legem, tenet ſe pro excommunicato, non peccat, nec ſe exponit periculo peccati; ſecùs, ſi non ſatisfaceret, non legeret, non ſeruaret legem, non ſe haberet pro excommunicato. Paritèr

non

non benè diſcurrunt, qui poſſeſsionem tribuunt libertati, dicendo, aliquem eſſe, vel non eſſe in poſſeſsione ſuæ libertatis, & ità haud appoſitè loquuntur, dum dicunt in dubio, An lex ieiunij ſit impoſita. An votum, vel iuramentum quis emiſerit, An expleuerit annum vigeſimū primum, quo expleto tenetur jeiunare ex communi D.D. ſententia, An excommunicationem, aut Irregularitatem contraxerit, dubitantem in huiusmodi caſibus non teneri ad ieiunium ſeruandum, ad implendum votum, ad obſeruandum iuramentum, ad ſe habendum, vt excommunicatum, & irregularem, quia eſt in poſſeſsione ſuæ libertatis, quia verè dubitans in his caſibus tenetur ad ſeruanda hæc omnia, quia in horum omnium obſeruatione nullum eſt peccatū, aut peccati periculum; ſecùs in non obſeruantia; & non benè dicitur, hæc non obſeruans eſſe in poſſeſsione ſuę libertatis. Ratio autem fundamentalis, & capitalis deſumpta ex fundatiſsimis principijs Iu-

ris

ris Ciuilis, vndè ortum habuere illæ Maximæ, *potior eſt ratio poſsidentis*, *poſſeſſor debet manuteneri in poſſeſsione*, eſt, quia, in primis poſſeſsio, vt benè habet Nicolaus Nebriſſenſis in ſuo Lexico Iuris vtriusquè; poſſeſsio propriè eſt de rebus immobilibus, eò quòd eis pedibus quis inſiſtit, vnde à planta dicta eſt poſſeſsio. Poſſeſsio ſecundum Azo C. de acquirenda, & retinenda poſſeſsione eſt corporalis rei detentio, corporis, & animi, & iuris adminiculo concurrente. Vel ſic, eſt ius quoddam, quo aliquis rem corporalem verè in poteſtate habet, & dicitur corporalis rei ideò, quia ſola corporalia poſsidentur, incorporalia autem dicuntur quaſi poſsideri, & quaſi tradi per patientiam, & vſum, nam incorporalia non poſſunt corporaliter apprehendi, ſicut iura, & ſeruitutes, & ideò non poſſidentur c. conqueſtus de for. comp. in gloſſ. ff. de vſuc. l. ſequitur §. ſi viam ff. de acquirenda poſſeſsione L. 3. in principio, & ideò benè dicitur detentio, quia

res

res naturaliter tenentur ab eo, qui corporaliter inſiſtit eis. Nam dicitur, Corporis, & animi, & iuris, quia hæc tria, ad hoc vt quis verè dicatur poſſidere, concurrere debent, ideſt, actus corporis, actus animi, & adminiculum iuris, nam, opus eſt, vt quis corpore adipiſcatur, aut ſaltem oculis, ſufficit enim plerumquè viſus oculorum, & animi affectus cùm voluntate tradendi, quia ipſe animi affectus neceſſarius eſt, non autem per ſe corpore, per ſe animo poſsidetur, quia verum eſt, poſſeſsionē ſolo animo amitti, putà, ſi quis ſe poſſe repelli, ſuſpicetur.

An hæc poſſeſsio benè applicetur libertati, voto, præcepto, legi, iuramento, excommunicationi, irregularitati; An quis poſsit dici eſſe in poſſeſsione libertatis, An præceptum, votum, iuramentum, lex, excommunicatio, Irregularitas poſsint dici eſſe in poſſeſsione, ſeù habere poſſeſsionē; Tu, mi Lector iudica, tùm recole, quę dicta sūt ſuprà ex Tertull. Fides nominum ſalus eſt proprietatum.

Nequè

Digitized by Google

Nequè reſpondeas cùm Salas in 1. 2. q. 21. tract. 18. ſect. 16. Poſſeſsionem dici de libertate, præcepto, voto &c. per accommodationem, & impropriè, ſeù quod idem eſt, per translationem, nam ſicuti non benè quis hominem pictum appellaret hominem; nec benè quis diceret abſolutè, prata ridere, quia metaphoricè, & translatitiè dicuntur ridere, ità haud appoſitè, & Theologicè loquitur, qui dicit, hominem eſſe in poſſeſsione ſuæ libertatis, aut votum, iuramentum, legem, excommunicationem, irregularitatem eſſe in poſſeſsione, aut retinere poſſeſsionem.

Reſpondet 2. ad principale argum. Paulus Comitolus in ſuis Reſp. Mor. lib. 2. q. 18. ea axiomata valere non quidem in materia iuſtitiæ cõmutatiuę generatim ſed ſolùm quando quis poſsidet bona fide, quia bona fides dubitationẽ omnem tollit, nam vbi eſt dubitatio, nè fides quidem eſse poteſt, nedum bona. Deindè in foro conſcientiæ agitur de rationibus homi-

hominis,& Dei,& quis non videat ſponte ſua potiores eſſe omninò rationes diuinas,quàm humanas ; & nonnè melior eſt conditio hominis, qui in Dei, quàm qui in ſua poteſtate ſit, quiquè à Deo regatur, & poſsideatur? & ſanè qui à Deo poſsidetur, liber eſt à peccato, qui verò ſeipſum poſsidet, & Deo non ſeruit,liber eſt à iuſtitia. ità diſcurrit Comitolus loco cit. & didicit ex D. Auguſtino lib.de Gratia,& lib.arb. c.15. Semper autem in nobis voluntas eſt libera, ſed non ſemper eſt bona, aut enim à iuſtitia libera eſt,quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala ; aut à peccato libera eſt, quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona.

Poteſt hæc tota doctrina confirmari ex caſibus, quos adducit Gloſſ. pro explicatione eius Axiomatis. in pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſsidentis; nam quò ad par delictum exemplificat in Iudice, qui recepit pecuniam ob ferendam iuſtam ſententiam à litigante, qui poſteà repetebat pecuniam à

ſe

ſe turpiter datam, & à Iudice turpiter receptam, regula dicit, meliorem, ſeù potiorem eſse conditionem Iudicis poſsidentis pecuniam; exemplificat & in eo, qui dedit pecuniam Virgini pro ſtupro, & deindè illam repetit tanquam turpiter datam, & turpiter receptam; regula dicit, meliorem, ſeù potiorem eſſe conditionem Virginis pro ſtupro pecuniam poſſidentis. Quò ad parem cauſam exemplificat, quia cùm vacaret aliquod beneficium fuit collatum duobus, quia Papa illud tibi contulit, Ordinarius mihi, quęritur, quis erit potior, cùm non appareat de proprietate collationis? dicitur, quòd ille eſt potior, qui poſsidet; & ſi neuter poſsidet, ille eſt potior, qui habet cauſam à Papa. En quomodo Poſſeſsio applicatur pecunię, & beneficio; non libertati, non voto, non iuramento, excommunicationi, aut irregularitati, vtpotè incapacibus poſſeſsionis.

Ad tertium Axioma adductum contrà noſtram regulam, Cùm ſunt partium

iura

Digitized by Google

iura obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm actori; dico ex illo, ſeù per illud non infringi noſtram regulam, hæc enim procedit in foro conſcientiæ, & coram Deo, Axioma procedit in foro externo, & coram Iudice,& patet ex caſu, in quo exemplificatur axioma illud à Gloſs. ibi; Tu, & ego reus, habebamus litem inter nos coram iudice competente, propoſuimus facta contraria,& fuimus admiſsi ad illa probanda, tu actor produxiſti quatuor teſtes, ego reus ad probandum contrarium produxi alios quatuor teſtes; iſti noſtri teſtes ſunt pares in dignitate,& in cæteris,& deponunt æquè veriſimilia, & in effectu omninò æquales; & ſic iura noſtra videntur eſse dubia; quæritur, quorum dicta debeat Iudex inſequi, & pro qua parte debeat ferre ſententiam? Reſpondetur, quòd ſententia eſt ferenda pro me reo contrà te actorem, quia cùm partium ſunt iura obſcura, reo fauendum eſt potiùs, quàm actori, & hoc verum eſt in deciſione cauſæ, nam ab

initio

initio potiùs eſt fauendum actori, quàm reo, ideò ſi actor in libello poſuerit verba ambigua, poteſt illa interpretari ſecundum verum intellectum l. ſi quis ff. de iudi. Deindè huic regulæ, ſeù axiomati oppono hoc aliud ex ijsdem regulis Iuris; Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumquè fieri conſueuit.

Deniquè ad 4. Axioma dico, illud valere in pœnis, & ità expreſsè habetur per regulam iuris in 6. & eſt regula 49. In pœnis benignior interpretatio facienda; & ità exemplificat Gloſs. ibi. Priuatus à collegio D.D. non perpetuò, ſed temporaliter priuatus intelligitur. Tutor remotus non expreſſo, an propter dolum, an propter culpam, remotus intelligitur propter culpam; & ſic in dubio caſſatio electionis, præſumitur facta non vitio perſonę, ſed electionis modo; ſic ex multiplici pœna expreſſa, eligimus mitiorẽ: patet ergò adducto axiomate noſtram regulam non infringi de parte tutiore eli-

 genda

genda in foro conſcientiæ, & in his, quæ ſpectant ad ſalutem animæ.

Ad 2. Reſp. Aliud eſſe loqui de foro externo, ſeù de eo iudicio, quod debet facere iudex; aliud verò eſſe, loqui de foro interno, & conſcientiæ, ſeù de eo iudicio, quod formaret quilibet de ſe ipſo; Iudex, ſeù quicunquè alius, de ſuo proximo omnia debet in meliorem partem interpretari, quæ dubia ſunt, tenetur non imputare aliquem defectum, niſi ſit plenè certioratus, è contrà debet homo ſe gerere ergà ſe ipſum, debet enim omnia accipere, quæ dubia ſunt, in deteriorem partem, vt ſecurius remedium apponat; ità S. Thomas 2.2. q. 60. art. 4. en verba ſuprà etiam adducta. Vbi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius, debet vnusquisquè eum, vt bonũ apprehendere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt, alioquin iniuriatur ei, & contemnit ipſum, nullus autem debet alium contemnere, aut nocumentum quodcunquè inferre absquè

caufa

cauſa cogente; at verò circà ſeipſum homo debet dubia interpretari in peiorem partem juxtà illud Iob. 9. Verebar omnia opera mea, eo quòd debemus noſtris malis adhibere remedium, expedit ad hoc, vt ſecurius remedium apponatur, vt ſupponatur id, quòd eſt deterius.

Ad 3. Reſp. iam ex dictis ſuprà ſatis probatum manere iudicium ſpeculatiuum non differre à iudicio practico, niſi ratione finis, quia practicum ordinatur ad opus, ſecùs ſpeculatiuum, idquè deduci ex S. Thoma p.p.q.97.art. x1.& ex Ariſt.3. de Anima, Intellectus ſpeculatiuus extenſione, (ideſt, ad opus) fit practicus. Ad text. adductum, Reſp. ibi Ariſtotelem loqui de operante cum errore,& deceptione, atquè adeò eum,qui format iudicium practicum diuerſum à ſpeculatiuo, docet ibi Philoſophus, errare,& decipi, ſi nimirùm ſciens omnem mulam eſſe ſterilem, dubitet,& ſuſpicetur de hac, ſicut etiam deciperetur, qui ſciret, omne A. ineſſe omni B. B, ineſſe

C. & dubitaret, A. ineſſe C. exemplum eſt eiusdem Ariſtotelis ibi. At qui benè, ſinè errore, & deceptionė operaretur, non formaret iudicium ſpeculatiuum diuerſum à practico, nequè hunc diuerſum ab illo; & patet, hunc eſſe germanum ſenſum Ariſtotelis tùm ex titulo c. qui eſt de deceptione ſecundùm ſuſpicionem, tùm ex ipſo contextu attentè cõſiderato.

Ad 4. Reſp. A iure canonico eandem doctrinam extendi ad alios caſus diuerſos ab homicidio, nam c. Iuuenis de ſpõſalibus dicitur, Vir, qui contraxit matrimonium cum puella nondum ſeptenni, de qua propterea dubitatur, An eſſet viri potens, debet ſeparari ab eius conſobrina, quam poſteà duxit in vxorem, & redditur ratio, quia in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus. & in c. Præsbyteri Gregorius III. ſanxit, Sacerdotes ordinatos ab Epiſcopis incognitis, debere iterùm ordinari, quia dubitabatur, An illi eſſent Epiſcopi.

&

Digitized by Google

& Gloſ. ibi affert alios caſus, in quibus tutior pars eſt eligenda; ait enim; hic in dubio potiùs præſumitur non ordinatus, quàm ordinatus, ſimiliter in dubio potius præſumitur non baptizatus; quàm baptizatus, vt de Conſ. diſt. 4. paruulos. & in dubio potius præſumitur Eccleſia non conſecrata, quàm conſecrata, vt de conſecr. diſt. 1. ſolemnitates. Deindè ſibi obijcit; ſed cùm ita præſumitur in his Sacrameutis, quare in Sacramento matrimonij potiùs prȩſumitur pro ipſo, quàm contrà ipſum, vt 33. q. 1. ſi quis acceperit? & Reſpondet. Sinè omni periculo eſt, ſi Sacramenta illa iterentur, ſed periculum eſſet, ſi iudicaretur non eſſe matrimonium, vbi eſt; En quomodo ſemper per ſacros canones eligenda eſt pars tutior, & vacans periculo. Pariter in Glos. in c. Iuuenis de ſpons. alios Canones adducit pro hac eadem Regula, nam de Pœnit. diſt. 7. c. 2. §. item ſi. dicitur; Tene certum, & dimitte incertum. & ſuprà de homicidio c. ad Audientiam.

& 14. diſt. ſicut & in re dubia certa non poteſt ferri ſententia 11. q. 3. graue. & 33. diſt.eadẽ, habuiſſe, & 30. q.vlt, §. vlt. Inſtit. de Act. §. curare, quandoq; tamen cùm obſcura ſunt iura partium certa fertur ſententia de fide inſtrum. inter dilectos in fin. Sed non dicitur dubia res ibi, quia actor non probauit clarè, & ità pro poſſeſſore iudicari debet.

Ad V. Reſp. In dato caſu licitam eſſe ſequelam probabilioris, quia tunc ſequi tutiorem non eſſet præcepti, ſed conſilij, nam pars probabilior eſſet tuta, & expers periculi cadendi in peccatum; regula autem de tutiori eligenda debet intelligi de tutiori aduerſatiuè, vt ſuprà explicatum eſt, non de tutiori comparatiuè, quando altera pars etiam eſt tuta.

Ad VI. Reſp. Quòd quando lex ità eſt dubia, vt non ſit aſſignare vnam partem dubiam præ altera, tunc reuerà non obligat; at tunc non ſumus in caſu quęſtionis. At ſi vna pars eſt altera turior, am lex eſt promulgata, & ſufficienter pro-

propoſita, & ideò obligaret, aliàs non poſſet aſſignari in vlla lege pars tutior, & carens periculo peccati; hinc Buſembaus in ſua Medulla Theol. Moral. tract. 2. cap. 1. dub. 1. n. 3. benè docet, cùm dubium eſt de iuſtitia legis, quem teneri lege, quia legislator poſſidet ius præcipiendi, idemquè regitur altiore conſilio, ac poteſt habere rationes ſubditis occultas; Imò Suarez lib. 1. cap. 9. Bonacina punc. 8. num. XI. relati à Buſembau vbi ſuprà, docent, quòd lex obligat, licèt contrà iuſtitiam legis ſint rationes probabiles, quia aliàs daretur nimia licentia legibus non parendi, cùm vix poſſint eſſe tàm iuſtæ, quin aliqua apparens ratio dubitationem mouere poſſit.

Ad VII. Reſpondeo; In primis, quòd dubium ſit nè lex, non eſt dubium iuris formalis, ſed dubium iuris materialis, quod coincidit cum dubio facti, vt diximus ſuprà in explicatione Concluſionis. Prætereà dico, in transgreſſione materiali legis non ſolùm relucere malum lon-

Digitized by Google

gè maius, & minus in obſeruantiã, quia in illa transgreſſione materiali abſolutè, & ſimpliciter eſt malum, ſecùs in obſeruantia, quia in illa transgreſſione materiali eſt peccati periculum reſpectu hominis priuati, reſpectu verò Reipublicæ eſt malum, quia quæcunquè transgreſsio legis infert notabile damnum Reipublicæ, cui è contrà affert notabile bonum legis obſeruantia, vt enim benè habet Ariſtoteles 4.Polit. non eſt Reſpublica, vbi leges non dominantur; & ſanè malum, quod reſultat ex inobſeruantia legum non poteſt compenſari per bona, quæ ſequerentur ex earum inobſeruantia, nimirum conſeruatio libertatis in ciuibus, pax, & nulla perturbatio in Republica, in quantum, ſcilicèt, qui non obſeruaret legem, retineret ſuam libertatem, & res in Republica manerent in eodem ſtatu, hæc enim bona omnia, & ſi quæ alia ſunt aſſignabilia prouenientia ex transgreſſione, & inobſeruantia legum inferiora ſunt ad vnicum hoc bonum,

quod

quod eſt conſeruatio Reipublicæ, quæ habetur ex legum exacta obſeruantia, & ſic tutior pars, quæ eſt in obſeruantia, & exiſtentia legum, eligenda; quando dubium eſt, ſit nè lex.

Ad VIII. Reſp. Per meliorem partem c. illo Eſtote miſericordes, non intelligi partem benigniorem, & fauorabiliorem, ſed nequè ſtrictiorem, aut rigidiorem, ſed tutiorem, ideſt, immunem à peccato, ſic intelligit illud c. Scotus in 4. diſt. 19. q. 1. §. Hic dicitur verſus finem; nam in caſu, quo quis ex metu conſenſit in matrimonium, tenet Scotus, Eccleſiam præſumere conſenſum internum, non externum tantùm, & verbalem, quia præſumit illum non peccaſſe conſentiendo, atquè adeò elegiſſe partem tutiorem, & ſecuram à peccato, conſenſus enim ſolùm externus, & verbalis eſt mendacium pernitioſum, atquè adeò mortaliter peccaminoſus; quando ergò quis ex metu mortis, aut ex metu incidendi in peccatum mortale, conſenſit in matrimonium,

um, debet præſumi conſenſiſſe interiùs, & verè, atquè adeò elegiſse partem tutiorem. Fateor, quòd in infligendis pœnis vtrumquè ius, Canonicum, ſcilicèt, & Ciuile, partem ſemper ſequitur benigniorem, & fauorabiliorem reo, ſeù mitiorem; ideò habetur c. In pœnis; de reg. Iuris in 6. regula 49. benignior eſt interpretatio facienda, vt fusè diximus in Reſp. ad I. Hùc ſpectat alia Regula, quæ eſt XV. odia reſtringi, fauores conuenit ampliari; pœnæ omnes ſunt odiosæ, ſicuti priuilegia ſunt fauorabilia, ſeù fauores. hinc c. Apoſtolicè, & habetur extrà de clerico non ordinato, excommunicato, aut alio impedimento canonico impedito miniſtrante, dicit Papa, Cùm eo miſericordiam facientes, pænam, quam canon his, qui per executionem diuinam præſumpserunt celebrare, infligit, non duximus infligendam.

Ad id, quod dicitur, in dubio neminem eſſe cenſendum obnoxium, aut obligatum; id eſt verum in foro exteriori, non

non interiori; Iudex, aut alius quicunquè non debet in dubio exiſtimare, & iudicare proximum obnoxium, & obligatum; quia contemneret ipsum, & iniuriam inferret, & ſic peccaret mortaliter, vt notauimus ſuprà ex D. Thoma Lect. 3. ſecùs in foro interiori, & quilibet de ſe ipso debet habere peiorem opinionem, in dubio, quia ſic reddit ſe tutum à peccato. Hinc habetur extrà de ſcrutinio in ordinibus faciendo c. vnico, Præſumitur idoneus, qui non probatur non idoneus, defectus enim non imputatur, niſi probetur; at quis deberet ſe ipſum exiſtimare non idoneum, & habere defectum, ſi dubitaret.

Ad IX. Reſp. In primis non valere de lege diuina, quæ non reſpicit, ſeù attendit ad commodum temporale, ſed ad ſalutem animæ. Prętereà ſalus animę pręferenda eſt cuicunquè commodo temporali, vndè in dubio, ſi transgreſsio legis, ſeù legis non obſeruantia afferat cõmodum temporale, ſed ſimul inferat pericu-

riculum peccati, vel peccatum ipſum, quis timoratę conſcientiæ dicat, eligendum eſſe illud commodum ſpreto periculo peccati? Verùm ſi lex poſitiua non obliget ad peccatum, quia nimirùm eſt de materia leui, vel ex alio capite, non enim omnes leges poſitiuæ obligant ſub mortali, vt videre eſt apud Bonac. tom. 2. diſp. 1. q. 1. P. 1. Prop. 2. Salam, AZOrius, Sayrum locis ab ipſo cit. tunc poteſt haberi ratio, & reſpectus ad commoditatem, quæ ab ipſis affertur.

Ad X. reſpondet S. Antoninus p. p. tit. 3. c. 10. Id eſſe intelligendum de dubitatione aliqua leui circà vnam partem, quando pro alia militant rationes validiores, & cum leuem dubitationem ſolent habere ſcrupuloſi, idquè eſſe ſtultum, & periculoſum ſecundùm Cancellarium. hæc S. ANtoninus. Cæterùm licitum eſſe operari cum conſcientia ſcrupuloſa, manente ſcrupulo, dummodo iudicetur eſſe ſcrupulus, & contemnatur, docet, Busembaus in ſua Medulla lib. 1.

tract.

Digitized by Google

tract. 1. e. 13. vbi alios graues Auctores pro ſe adducit.

Ad XI. Reſp. negando Ant.& quidem ad primum caſum de recitatione officij, dico; ibi contineri falſam doctrinam,vt docet Vasq.1.2. diſt.65.c.2. Si enim habens tenue beneficium,non depoſito tali dubio, non recitat horas, peccat mortaliter. Ad ſecundum caſum de irregularitate dico, certum eſse, & definitum in ſacris canonibus,Irregularitatem non incurri, ſi non fuerit expreſsa, quia irregularitas eſt pœna,atquè adeò res eſt odioſa; At ſi quis non facta diligentia, an ſit in iure expreſsa; non ſe gereret, vt irregularem, peccaret, tutiorem partem non eligendo. In Voto, quæ doctrina practicari debeat,dictum eſt ſuprà; & pariter quid dicendum, & tenendum ſit, quando eſt dubium de obſeruantia præceptorum Eccleſiæ,ideò non eſt,cur eadem hìc repetamus.

Ad XII. Resp. Quòd ſi dubia lex talis ſit, vt admittat plures interpretationes,

quarum

quarum vna ſit probabilior altera, optimè poteſt adduci pro deciſione cauſæ, quia tunc probabilior interpretatio eſset eligenda. At ſi lex dubia eſset omninò, & nulla in ea reluceret explicatio, aut interpretatio tutior, ſeù probabilior, tunc non poſset pro deciſione cauſæ adduci, & in hoc ſenſu loquitur Marcus Burgenſis loco cit.

Ad XIII. Reſp. Quòd quando S. Antoninus loco cit. dixit; eligendam eſse partem tutiorem ex conſilio, non ex præcepto, ſumpſit tutiorem partem comparatiuè, non aduerſatiuè, quando enim ſunt duæ partes; vna tuta, altera tutior, conſilij eſt, ſequi tutiorem, vt explicatũ eſt ſuprà in Conclus. & dictum eſt in Reſp. ad 5. ideòquè S. Antoninus ſtatim poſt verba adducta in argumento, ſubdit. Aliàs oporteret multos ingredi Religionem, quia tutiùs viuitur, quàm in ſæculo, non ergò ex neceſsitate oportet eligere tutiorem, quando etiam alia via poteſt eligi tuta, ſicut enim diuerſæ viæ ten-

tendunt ad Ciuitatem, licèt vna ſit tutior alia: ſic ad Ciuitatem cœleſtem, alius ſic, & alius ſic vadit, & tutè, licèt alius tutiori modo. Pariter *S.* Antoninus ibid. ait. Quia dicitur Ecc. 3. Qui amat periculum, in illo peribit, ideò B. Thomas, & alij dicunt, quòd ille, qui agit id, de quo eſt dubium, vtrum ſit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis. En quomodo D. Antoninus ſicut in prioribus verbis ſumit partem tutiorem comparatiuè, ità in poſterioribus ſumit aduerſatiuè, & in ſenſu noſtræ Concluſionis, quam confirmat per doctrinam, quam tradit 3. p. tit. 5. c. 2. §. 9. his verbis: In his quæ concernunt forum conſcientiæ, in dubijs tutior via eſt eligenda. extrà de Spons: c. Iuuenis.

Ad XIV. & Vltimum, quod eſt Thomæ del Bene p.p. de off. S. Inquiſit. dub. 192 n. 5. in primis, quòd in rebus Eccleſiaſticis, quis non rectè operatur, nec accipit poteſtatem ab Eccleſia, cum adeſt

error

Digitized by Google

error communis, & caſum fusè exami-
nat Comitolus in ſuis Reſp.Mor.lib. 6.q.
38. de quodam pręsbytero, qui cùm eſ-
ſet irregularis, ſed occultus, obtinuit ab
Ordinario facultatem adminiſtrandi Sa-
cramentum Pœnitentię; docet enim ibi
Comitolus, abſolutiones ab illo Sacer-
dote datas eſſe nullius momenti, quam-
uis confeſſiones pœnitentium propter
eorum bonam fidem validæ ſint, & non
iterandę, quamdiù manet in ijs bona fi-
des. De hoc enim Sacerdote curreret e-
adem regula, ac de intruſis, qui excom-
municare non poſſunt, nec excommuni-
catio ab ipſis lata quicquam valeret, vt
docet Alexander de Ales in 4. q. 22.
memb.2.art.2.

Deindè dico, quòd Lex illa Barbarius
in caſu noſtro non habet locum, nam fac-
tum, in quo verſatur lex illa, eſt huius-
modi: Barbarius, ſeù vt alij legunt. Bar-
batius Philippus, ſeruus fugitiuus venit
Romam, illic occultata ſeruili conditione
pro libero ſe geſſit, cùmquè eius vitæ ra-
tio

tio probata eſſet Populo Romano, Præturam petens eſt adeptus; geſta Prætura dubitatum eſt, vtrùm illius edicta, ſententiæ, acta coram eo valerent, quandoquidem iurisdictio, & imperium in alios ſeruos conuenire non poteſt. Vlpianus ex ſententia Pomponij antiquioris Iurisconſulti, reſpondet, ſeruitutem Barbario minimè obfuiſſe; illius dicta, acta, decreta vim habere ob publicam vtilitatem, & quia Populus Romanus decernere ſeruo potuit hanc poteſtatem; & quia ſi ſciuiſſet, eſse ſeruum, liberum effeciſset. At aliquem operari cum conſcientia dubia, non cohæret cum publica, aut cum priuata auctoritate, quin potiùs eſt maximo cum damno, & pernicie, & priuata, & publica; priuata quidem, quia eſt cum peccato, quod eſt maximum damnum, & mors animæ eius, qui cum tali conſcientia operaretur: publica autem, quia vergit in damnum Reipublicæ Chriſtianæ, viam latam patefieri ad operandum cum conſcientia dubia, quia, vt benè adnota-

Digitized by Google

tum eſt ſuprà cum Suarez, & Bonacina relatis à Buſenbau, nulla eſt inuenibilis lex, tàm iuſta, vt nequeat de iuſtitia illius aliqua ſaltem apparens ratio, quæ dubitationem in contrarium moueat, asſignari; & recurrunt hìc omnia, quæ diximus Lectione ſuperiori de via lata, & Chriſtianæ diſciplinæ relaxatiua.

Præterea ſicut in caſu illius Sacerdotis absquè vera Iurisdictione abſoluentis, ſi Ordinarius ſciuiſset, facultatem abſoluendi, minimè dediſset; & de intruſis dicitur, quòd ſi Eccleſia ſciuiſset, haud nunquam dediſſet facultatem alios excommunicandi. ità ſi attendatur ſacra Canonum doctrina, cui ſe conformat ſemper Eccleſia, numquam conſuleret, tutiorem partem non eſse eligendam in dubio ſiuè iuris, ſiuè facti.

LECTIO

LECTIO QVINTA.

An homo illiteratus poſſit ſequi ſententiam ſui Magiſtri, ſeù Doctoris in hac materia morum, ſeù Conſcientiæ.

VIdetur quòd non. Primò quia homo illiteratus debet ſequi opinionem, quam ipſe exiſtimat apud peritos, & doctos in ea arte magis communem, dummodo tamen pars oppoſita non ſit tutior; ergò. Ant. probatur primò quia ità tenent Maior q. 3. Prologi 4. ſententent. Corduba lib. 3. q. 3. dicto 4. Secundò quia per Innocentium in c. Inquiſitioni n. 5. de Accus. dicitur, quòd vox communis præfertur dictis paucorum, &, vt eſt in adagio, Vox Populi, Vox Dei; demùm Petrus Hiſpanus in Summul. tract. 6. in c. de Redarg. & falſo, ait, Inopinabile eſt, quòd eſt contrà opinionem omnium, vel plurium, vel maximè Sapientum;

tum; ergò debet illiteratus ſequi communem vocem, & communem ſententiam, non verò eſſe addictum ſententiæ, & opinioni ſui magiſtri.

Secundò quia, proxima, & vnica regula operationum moralium eſt propria conſcientia cuius dictamen practicum debet vnusquisquè ſequi, vt docent D.D. communiter omnes, ergò illiteratus debet ſequi dictamen propriæ conſcientiæ, non verò opinionem ſui magiſtri, aut alterius priuati Doctoris, aliàs operaretur contrà propriam cõſcientiam, & ſic peccaret, nã omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt; ad Rom. 14. ideſt, vt communiter D.D. explicant, omne, quod non eſt ex propria conſcientia, quæ venit nomine fidei ibi, peccatum eſt.

Tertiò quia D. Thomas Quodlib. 3. art. 19. docet, quòd poteſt quidem illiteratus ſequi opinionem ſui magiſtri, ſi illa opinio non pertineat ad fidem, & ad mores, ſecùs ſi pertineat, aliàs Arij, & aliorum Hæreticorum, & Hæreſiarcha-

rum

rum ſequaces excuſarentur à peccato, neque enim excuſantur à ſimplicitate, quia in dubijs non eſt de facili præſtandus aſſenſus; ſed potiùs, vt docet D. Auguſtinus 3. de doct. Chriſt. conſulenda eſt regula fidei; quę de planioribus Scripturis, & Eccleſiæ auctoritate percipitur.

Quartò quia in c. Noli meis diſt. 9. D. Auguſtinus interrogatus à quopiam reſpondit; Scripturis ſuis pro firmo non eſſe credendum, ſed eſſe credendum dictis Sanctorum Patrum, ſeù D.D. & eſt ſequenda eorum ſententia, in quantum eſt conformis Canonicis ſcripturis; hinc idem Auguſtinns c. Ego ſolis eadem diſt. profitetur, ſe non credere ſcriptoribus non canonicis, quamuis doctis, & pijs, niſi eorum dicta confirment, vel per alios Auctores, vel per canonicas, aut probabiles rationes, quæ à vero non abhorreant, ergò cùm poſſint D.D. à vero abhorrere, non erunt in tuto illiterati, ſi eorum dictis credant. Addito præſertim, quòd idem D. Auguſtinus ad Vincenti-

um Vitalem lib.4. de Anima,& eius origine c.V. ingenuè fatetur, plura eſſe in ſuis opuſculis, quæ mereantur damnationem; ait enim, negare non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ità multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quę poſſint iuſto iudicio,& nulla temeritate damnari.

Quintò in c.ſi habes 24.q.2.idem Auguſtinus epiſt. ad Auxilium Epiſcopum ait; Si habes de hac re ſententiam rectis rationibus, vel Scripturarum teſtimonijs exploratam, nos quoquè docere digneris, quomodo anathematizetur pro Patris peccato Filius; ergò D. Auguſtinus non credebat auctoritati Epiſcopi rationibus, aut Scripturarum auctoritatibus deſtitutæ, & aliàs quãuis ſenex à iuuene Coepiſcopo,&Epiſcopus tot annorũ à collega necdũ anniculo diſcere non erubuit, quomodo vel Deo, vel hominibus iuſtam poſſumus reddere rationem, ſi animas innocentes pro ſcelere alieno (ex quo non trahant, ſicut ex Adam, in quo

omnes

omnes peccauerunt, originale peccatum) ſpirituali ſupplicio puniamus?

Sextò quia, vt dicitur c. Vniuerſis de Teſtibus. Vox vnius, vox nullius. & in c. nolite 11. q. 3. Archidiaconus ait; cuicunquè magno Doctori non habeo credere, niſi dictum approbetur per authēticam ſcripturam, non enim in materia fidei, & morum vſurpari poteſt illud apud Pithagoricos frequentiſſimum, & in more poſitum, *ipſe dixit*, atquè adeò non licet acquieſcere dicto alicuius Doctoris præcisè, quia ipſe dicit, & conſulit, niſi validas afferat rationes, ſed potiùs ſeruandum eſt illud Ariſt. 1. Top. 12. videlicèt, propoſitiones eligendæ ſunt aut omnium opinione, aut plurium, aut ſapientum, & horum vel plurium, vel notiſſimorum.

Sed contrà eſt Dicendum, Homo illiteratus in dubijs poteſt ſequi opinionem ſui Magiſtri, vel Doctoris, præſertim ſi laboret ignorantia inuincibili, & neſciat diſcernere probabilitates opinionum.

Dixi primò, *In dubijs*, quia quando illiteratus, & indoctus, conſulit Magiſtrũ, Confeſſarium, Parochum, vel priuatum Doctorem in his, quæ ſunt apertè contrà Scripturarum teſtimonia, contrà auctoritatem, vel definitionem S. R. Eccleſiæ, contrà communem ſensum S.S. P.P. aut Doctorum, non poteſt ſequi auctoritatem, ſeù opinionem ſui Magiſtri, Confeſſarij, Parochi, ſeù priuati Doctoris, non enim excuſaretur à peccato in iſto casu, nec eum propria ſimplicitas, & ruditas tutum, aut immunem redderet.

